

44

N A T U R K U N D I G E

V E R H A N D E L I N G E N.

21

1875

1875

1875

N A T U R K U N D I G E
V E R H A N D E L I N G E N

VAN DE

HOLLANDSCHE MAATSCHAPPIJ

DER

W E T E N S C H A P P E N

TE

H A A R L E M.

TWEEDE VERZAMELING.

7^e DEEL.

Stirpes Surinamenses

Miquel

LEIDEN,
ARNZ & COMP.
1851.

STIRPES SURINAMENSES
SELECTAE.

2011

4
117
118
119

STIRPES SURINAMENSES

SELECTAE.

DIGESSIT


mea
F. A. GUIL. MIQUEL,

E SOCIETATE HOLLANDA SCIENTIARUM HARLEMENSI.

ACCEDUNT TABULAE LXV.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD ARNZ. & SOC.

MDCCCL.



•
y. 42

..81.

IF

Ex typographeo H. R. de Breuk.

Si ad ingentem sterdas stirpium copiam, quam post indefessi AUBLETHI disquisitiones ex omni Guiana in Musaea botanica contulerunt LEBLOND, GABRIEL, CHARD, POITEAU, PEROTTET, LEPRIEUR, RODSCHIED, PARKER, uterque SCHOMBURGK, HOSTMANN, WEIGELT, FOCKE, SPLITGERBER, KAPPLER, KEGEL, aliique Botanici vel itineratores, vix dubium videtur, quin jam nunc materies ad Floram Guianensem scribendam fere idonea in manibus sit Botanicorum. Hanc conscribere vero nemo hactenus suscepit, nec ego tale opus molior, qui id tantum mecum constitui, ut Guianae Batavae vel Coloniae ita dictae Surinamensis stirpes novas vel nondum accurate cognitae in sequenti dissertatione illustrarem. Quibus adminiculis fretus, hunc laborem susceperim, paucis exponam.

Jam anno 1835 stirpibus Surinamensibus examinandis operam navare incepti. Eo enim tempore Vir Grav. H. C. FOCKE, Coloniae foro juridico adscriptus, Florae tropicae decore captus, patriae suae plantas cognoscere cupiens, earum specimina sicca mihi misit, ut nomina botanica iis inscriberem. Lubentissime ejus voluntati satisfeci, sperans fore ut sic aliquando botanicus αυτοδιδακτος, innumera- biles illius Florae divitias, in ipsa terra natali, ad summum

scientiae emolumentum, posset explorare. Nec eventus spem meam fefellit. Ex eo enim tempore non solum summa cum industria omnis generis stirpes magno numero collegit et annotationes atque icones ad naturam factas mihi continuo misit, sed ipse descriptionibus botanicis de Flora Surinamensi tam bene meruit, ut Prima Classis Instituti Regii Scientiarum Neerlandici Socii epistolaris diploma honorifice ei obtulerit. Non solum prope urbem Paramaribo et in vicinis stationibus plantas collegit, sed regiones interiores etiam, sylvas primaevas et savanarum planities plus semel peragravit, multasque antea plane incognitas stirpes retulit. Earum aliquas jam in SCHLECHTENDALII Linnaea descripsi, plures vero nunc primum in lucem eduntur.

Honorificum inter Florae Surinamensis antistites locum diu tenuit Vir doct. F. W. HOSTMANN, medicus Paramariboensis, qui primum commilitoni academico Goettingensi, viro cl. ERNESTO MEIJER, aliquot specimina Surinamensia misit, quae hujus opera a. 1825 in Vol. XII Nov. Act. Acad. Nat. Curios. descripta sunt. Abhinc plantis colligendis, exsiccandis et vendendis operam dedit HOSTMANNUS, anno 1839 interiores Coloniae regiones adiit et ad limites australes usque, ad Mapanna rivum, qui in Tampati fluvium aquas effundit, pervenit. Sequenti anno, flumina Commewijne, Cottica et Wanakreek parvis navibus ascendens et Marrowyne fluvium dein secutus, ad extremum Arminae castellum peragravit, unde in Nigritarum, qui Maronenses vocari solent, provinciam iter botanicum continuavit. Quantae harum omnium regionum sint divitiae botanicae, Herbaria Hostmanniana comprobant, quae jam nunc in variis Musaeis publicis et privatis asservantur. In summum meum commodum, eximiam harum stirpium collectionem humanissime, ut solent, mihi dederunt nobiles Viri W. J. HOOKER et G. BENTHAM.

Recentiori tempore HOSTMANNUS socium botanicum sibi adjunxit juvenem diligentissimum, A. KAPPLER, qui jam nunc Herbaria Host-

manniana continuat et HOHENACKERO, *Esslingensi*, mittere solet, apud quem venalia exstant. *Plantarum Kapplerianarum Filices* a cl. KUNZE, *Glumaceae* a cl. HOCHSTETTER, *Orchideae* a cl. LINDLEY, *Melastomaceae* a cl. STEUDEL, reliqui ordines a me determinati sunt. KAPPLERI disquisitionibus autem haud exigua plantarum copia in lucem protracta est, quarum omnium fere in Herbario meo specimina adsunt.

Silentio denique haud transoundus est Hortulanus KEGEL, qui praesertim ad plantas vivas colligendas et hortis belgicis mittendas Surinamum adiit. Specimina exsiccata etiam retulit, quae in *Linnaeae Tom. XXI et XXII* a variis botanicis, partim a me, descripta sunt.

Amstelaedami,
m. Januario, a. 1850.



CONSPECTUS ORDINUM.

DICOTYLEDONES.

Mimoseae.	p. 1.	Gesneriaceae.	p. 116.
Caesalpiniae.	» 9.	Bignoniaceae.	» 120.
Papilionaceae.	» 18.	Acanthaceae.	» 127.
Chrysobalaneae.	» 25.	Convolvulaceae.	» 131.
Polygaleae.	» 30.	Solaneae.	» 133.
Myrtaceae.	» 34.	Asperifoliae	» 136.
Memecyleae.	» 42.	Cordiaceae.	» 139.
Melastomaceae.	» 45.	Verbenaceae.	» 142.
Oenotherae.	» 58.	Labiatae.	» 143.
Combretaceae.	» 61.	Gentianeae.	» 145.
Diosmeae.	» 64.	Loganiaceae.	» 151.
Burseraceae.	» 65.	Apocynae.	» 152.
Sapindaceae.	» 67.	Asclepiadeae.	» 169.
Meliaceae.	» 73.	Rubiaceae.	» 169.
Malpighiaceae.	» 76.	Compositae.	» 181.
Hippocrateaceae.	» 85.	Celtideae.	» 195.
Humiriaceae.	» 86.	Laurinae.	» 196.
Hypericineae.	» 88.	Nyctagineae.	» 204.
Clusiaceae.	» 89.	Loranthaceae.	» 205.
Marcgraviaceae.	» 94.		
Euphorbiaceae.	» 95.	MONOCOTYLEDONES.	
Malvaceae.	» 102.	Palmae.	» 207.
Caryophylleae.	» 103.	Aroideae.	» 211.
Cucurbitaceae.	» 103.	Musaceae.	» 212.
Sauvagesiae.	» 105.	Orchideae.	» 214.
Cruciferae.	» 106.	Burmanniaceae.	» 216.
Dilleniaceae.	» 107.	Xyrideae.	» 218.
Anonaceae.	» 108.	Dioscoreae.	» 219.
Ampelideae.	» 110.	Pontederiaceae.	» 220.
Myrsineae.	» 111.	Eriocauloneae.	» 221.
Lentibulariae.	» 113.		
Scrophularinae.	» 114.	Addenda.	223.
		Index specierum.	225.

M I M O S E A E.

I N G A , M A R T.

1. *Inga comewynensis* (n. sp.), ramulis junioribus angulatis petiolis foliolisque subtus parcissime pilosulis glabrescentibus, rhachi alata, ala inter infima juga raro deficiente, foliolis 4-jugis brevissime petiolulatis, oblongo-ellipticis acuminatis basi acutis vel obtusiusculis, venis duodenis vel quindenis erecto-patulis, glandulis sessilibus parvis, pedunculis axillaribus geminis longiusculis, spicis ovoideis, bracteis lanceolatis membranaceis dorso puberulis calyce brevioribus caducis, calycis semipollicaris tubulosi striati glabri denticulis pilosulis, corollae tubuloso-infundibuliformis extus sericeo-villosae $\frac{1}{3}$ parte exserta. — Sect. *Euinga* § 1 *striatae* apud BENTH. in *Lond. Journ. of Bot.* 1845.

Insignis species, ad flumen *Commewyne inf.* m. Sept. florens, ab am. FOCKE lecta, *J. Salzmannianae* et *striatae*, BENTH. *l. c.* p. 608, accedit.

Rami subcylindrici lenticellosi, *juniores* angulosi puberuli. *Petiolus communis* circiter semipedalis, infra foliola, aliquando inter juga infima nudus, caeterum alatus, alis ab apice latiusculo inde angustatis, puberulus, basi tumida densius pubescens. *Petioluti* semilineares, incrassati, puberuli. *Foliola* infima $3\frac{1}{2}$, suprema 6 poll. longa, $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, rigide chartacea, laete viridia, serius glabra, costa diutius pubescente venisque prominentibus notata, tenuiterque reticulata. *Stipulae* caducae. *Pedunculi* angulati, striulati, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ pollicares, *inflorescentia* 1— $1\frac{1}{2}$ poll. *Calyx* subcoriaceus, in sicco stramineofuscus, angustus, omnino glaber, dentibus brevibus tantum puberulis. *Corolla* intus glabra. *Filamenta* in sicco purpurea.

2. *Inga Meisneriana* (n. sp.), ramis striatis lenticellosis, ramulis angulatis rubiginoso-tomentellis, foliis breviter petiolatis, rhachi auguste alata, foliolis 5—6-jugis, brevissime petiolulatis, elliptico-oblongis sublan- ceolatis brevi-acuminatis mucronatisque, basi, hinc subinaequali, rotun- datis, infimis subovatis parvis, superioribus multo longioribus, omnibus supra in costa dense, caeterum parce puberulis nitidis, subtus pallidis pubescenti-hirtulis, venis circiter densis subtus reticulatis, spicis axilla- ribus solitariis vel geminis pedunculum aequantibus vel superantibus elon- gato-conicis, bracteis fugacibus late ovatis, calycis tubuloso-campanulati fusco-tomentelli dentibus ovatis acutiusculis, corolla calyce triplo lon- giore sericco-villosa. Sect. *Euingae verae* ad §^{***}, nisi leguminis in- cogniti indole ad *Pseudingas* potiori jure referenda.

Arbor, m. Octobri florens detecta, ad ripas *fluminis Suriname* (Focke).

J. Benthamianae, MEISN. in *Linnaea* Tom. 21 p. 255 affinis, foliolis 6-jugis, nec 3—4-jugis facile tamen distinguenda. Cognata etiam videtur *J. spuriae* W., affini, DC. *Prodr.*

Petiolus communis 4—2½ poll., infra foliola nudus et paulo incrassatus, caeterum tenuior, rufule serius griseo-pubescentis, alis angustis, inter infima et summa juga augustissimis. *Glandulae* scutellatae disco atrae, margine elevato fuscae. *Petioluli* tumiduli vix 1 lin. longi. *Foliola infima* supremis qua- druplo breviora, reflexa, ovata vel elliptica obtusiuscula, *reliqua* accrescentia, 3—4 poll. longa, pleraque aequilatera, alia versus basin inaequilatera, ple- rumque ad formam lanceolatam tendentia, juniora in costa rubiginoso-flavido- pilosa, nec unquam plane glabrata, subtus et colore paginae et indumento glaucescenti-incanula, venis costalibus erecto-patulis prominenter reticulatis, supra subsulcatis. *Inflorescentia* cum *pedunculo* tripollicaris, rubiginoso-to- mentella. *Bractee* jam sub alabastris caducae breves ovatae, cicatricem ele- vatam relinquentes. *Flores* sessiles. *Calyx* in infimis floribus ima basi leviter constrictus, caeterum tubuloso-subcampanulatus, 2½—3 lin. longus, denticulis brevibus subaequalibus, vulgo incurvulis. *Corolla* tubuloso-infundibuliformis, 6 lin. longa, intus glabra, extus pilis griseo-lutescentibus villosa, dentibus acutis. *Filamenta* alte exserta, *antheris* ellipsoideis bilocularibus subcurvatis nigrescentibus.

Observationes.

Inga ingoides, WILLD. — BENTH. in *Lond. Journ.* 1845. p. 613; *forma genuina*, foliolis latis in *Herb.* KAPPL. sub n. 78 adest, et ad hanc *J. Merianae*, SPLITG. *Tijdschr. Nat. Gesch. en Physiol.* Tom. 9. p. 113. spectat, licet calycem (quocum pedicellum conjunxisse videtur) 3—4 lin. ongum dicat, qui 3 tantum in supp. sp. habet.

Ejusdem forma, foliolis angustioribus lanceolato-vel elliptico-oblongis, alisque angustioribus, habitu *J. Meisnerianam* aemulans, floribus autem cum ipsa specie prorsus congrua, in *Hb.* HOSTM. KAPPL. sub n. 884 et 655 occurrit.

Inga stipularis, DC. *Mém. Legum.* p. 40. *Prodr.* 2. p. 455, hucusque imperfecte nota, nuper a cl. MEISNER secundum specimen *Herb.* KEGEL. n. 847 illustrata, in *Herb.* KAPPL. sub n. 661 fructifera adest. Inter *Pseudingas* pertinens ad *exaltatarum* sectionem referenda est. *Legumina* in meis matura 7—7½ pollices longa, 5 lin. lata, leviter curvata, linearia, marginibus incrassatis planis obiter articulata, glabra, valvis planis super semina convexo-protuberantibus, venoso-subreticulatis, 10—12-sperma, *seminibus* ovoideis transversis.

Inga Riedeliana β *Surinamensis*, BENTH. in *Lond. Journ.* 1845. p. 595, in *Herb.* HOSTM. et KAPPL. sub n. 830 et 971, qualem cl. auctor descripsit, adest, quod autem sub n. 174 exstat specimen huc etiam ab eo ductum, paulo magis diversum videtur spicis ad apicem caulis in amplam feracem paniculam rubiginoso-tomentellam confertis, calyce obconico-tubuloso 1½ lin. longo fusce pubescente, foliolis trijugis obovato-ellipticis abrupte acuminatis, basi inaequilaterali acutis, crassius coriaceis, 2—3½ poll. longis, subtus grossius reticulatis.

Inga sericantha, Mq. in *Linnaea* Tom. 19. p. 132. (*Hb.* KAPPL. n. 1692) *Riedeliana* et *corymbiferae* habitu foliisque quam proxima, floribus duplo minoribus, calyceque appresse hirto species distincta videtur.

PITHECOLOBIUM, MART. — BENTH.

1. **Pithecolobium glomeratum** (BENTH. in *Lond. Journ. of Bot.* 1844. p. 213), glabrum, pinnis unijugis, singulis apice bifoliolatis, folioloque paulo supra basin extrorsum impari auctis, foliolis inaequilateraliter subfalcato-

oblongis obtuse apiculatis, inferiore elliptico subaequilatero, spicis ex axillis defoliatis fasciculatis sessilibus vel subsessilibus densifloris, hinc subcapituliformibus, bracteis lato-ovatis ciliolatis, calyce brevi-campanulato praesertim in dentibus pubescente, corolla infundibuliformi-tubulosa praeter dentes tenere pilosulos glabra, staminum tubo exserto, ovario glabro. — Sect. *Caulanthum*. — Inga glomerata, DC. *Prodr.* 2. p. 438.

Prope *Bergendaal*, secus ripam fluminis *Suriname*, m. Majo floribus albis onustam arborem, Nigritis *Tatai* dictam, invenit am. FOCKE. In *Cayenna* cl. PATRIS detexit. Quam maxime, BENTHAMO ipso monente, affine est *P. Cataractae*, BENTH. l. c. (Inga H. B. K. *Nov. Gen.* Tom. 6. p. 297) quocum lubenter conjunxissem, nisi »scandentem” hanc speciem KUNTHIUS dixisset. — Staminum tubum in nostro subexsertum dicit cl. BENTHAM, quod ineunte anthesi revera ita se habet; mox autem alte exsertus observatur tubus, parte exserta aliquando ipsius corollae longitudinem aequante.

Arbor modicae altitudinis; *rami* biennes et annui albicantes, verruculis fuscis lenticellosis instructi, glabri. *Petiolus communis* semiteres, antice leviter concaviusculus, apiceque *glandula* scutellata instructus, 1—2 lin. longus; *pinnarum* divergentium *rhachides* $1\frac{1}{2}$ vulgo fere $2\frac{1}{2}$ - pollicares, antice anguste et profunde sulcati apiceque inter foliola *glandula* plana instructi. *Foliola* quam brevissime petiolulata, *petiolulo* (basi potius folioli contracta) $\frac{1}{2}$ lin. longo. *Foliolum impar* paulo supra basin ad exterius latus insertum, ellipticum v. oblongo-ellipticum sub-aequilaterum, obtuse vulgo apiculatum basi-que acutum, 1-plerumque $1\frac{3}{4}$ -poll. longum, 5—8 lin. latum, caeterum ejusdem compagis ac *suprema*, quae inaequilateralia, subfalcato-oblonga, raro subaequilatera, obtusiuscule subacuminata, basi praesertim inaequilaterali acuta, pergamaceo-membranacea, utrinque glabra, supra in sicco nigrescentia nitida, subtus pallida, venis 2 fortioribus alte adscendentibus in latere exteriori prope basin ortis tenuioribusque superne magis patulis notata tenere-que reticulata, 3— $4\frac{1}{2}$ poll. longa, 1— $4\frac{1}{2}$ lata. *Stipulae* caducae parvae lato-lanceolatae. *Spicae* 1—4 lin. longae. *Calyx* $\frac{1}{2}$ lin. circiter longus, *bracteam* aequans angustiuscule campanulatus, ad lentem 15-striatus, subpuberulus inque dentibus 5 acutis latis densius pubescens. *Corolla* praeter

dentes ovatos acutos dorso appresse subpuberulos glabra, $1\frac{3}{4}$ -vix 2 lin. longa. *Filamenta* praeffloratione incurva, *tubo* ineunte anthesi vix, ad ejus finem alte exserto, sursum dilatato. *Antherae* suborbiculatae biloculares. *Ovarium* inaequilaterali-oblongum, calycem superans, *stylus* filiformis, apice leviter compressulo-dilatatus incurvulus stigmatosus. *Fructus* deest.

TAB. I. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. Pars racemuli cum bracteis; *b.* bractea intus; *c* et *d* alabastrum juvenile et perfectum; *e.* flos; *f.* pars tubi staminei cum stylo; *g.* pars tubi calycini; *k.* calyx cum ovario; *i.* ovarium; *h.* stamina; *l.* stylus cum stigmate; figurae vario modo auctae.

2. *Pithecolobium Splitgerberianum* (n. sp.), ramulis, rhachidibus foliolis subtus pedunculisque pilis raris inspersis, glabrescentibus, pinnis bi-raro-uni-jugis, petiolo communi uni-, rhachidibus pauci-glandulosis, foliolis 2-vulgo 5-6-jugis brevissime petiolulatis membranaceis supra glabris, inaequilateraliter subdimidiato-lato-ellipticis, utrinque obtusissimis, pedunculis axillaribus fasciculatis (3^{nis} 6^{nis}) folium aequantibus vel eo brevioribus, racemis contractis ovatis, calyce membranaceo campanulato 5 dentato rufule puberulo pedicellum puberulum paulo superante, corolla campanulato-infundibuliformi 5-dentata glabra calyce duplo longiore, staminum tubo brevi, filamentis exsertis. Sect. *Abaremotemon*.

Herb. HOSTM. n. 459. Prope P. LUSORIUM, BENTH. inserenda species, notis indicatis facile cognoscenda. *Petiolus communis* $4\frac{1}{2}$, vulgo 3—4 poll. longus, tenuis, semiteres, infra jugum infimum, inter hoc et basin, *glandula* ovoidea convexa instructus; *rhachides* anguste submarginulatae, 1—4, vulgo circiter 3 poll. longae, superiores inferioribus aliquid longiores, inter juga (nec inter foliola) parvis glandulis hic illic instructae. *Petioluli* $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{4}$ lin. longi, tumiduli. *Foliola* tenuiter membranacea 10—14 lin. longa, 5—7 lata, plana, laete viridia, tenuiter venosa. *Pedunculi* angulati 2—3 poll. circiter long. *Calyx* 1 lin. paulo longior, dentibus praesertim densius pubescens. *Filamenta* basi tantum in tubum connata.

M I M O S A, ADANS. — BENTH.

1. *Mimosa polydactyla* (HUMB. et BONPL. in WILLD. *Spec. Tom. IV.* p. 1053) *varietas caloloba*, frutescens, ramulis patentim setuloso-hirtis, pinnis 5—4-jugis petiolum paulo superantibus, leguminis quadriarticulati valvis margine dense, dorso super semina sparse setosis.

Species a cl. FOCKE detecta, tanquam *M. polydactyla* in *Linnaea* Tom. 18. p. 591 enumerata, leguminis valvis in dorsi partibus convexis, i. e. in mediis articulis, setosis a genuina specie recedit, cui cl. BENTHAM (HOOK. *Journ. of Bot. Tom. 4.* p. 568) valvas glabras laeves margine tantum setosas disertis verbis tribuit. Nec tamen nostram specificè differre statuerem, quum haec species mire ludere soleat, tum partium magnitudine tum indumento. Icon, quam BREYNIUS in *Centur. Tab 18* proposuit, pinnis brevioribus quandoque 3 jugis et pedunculis etiam brevioribus nec tamen aliis notis a nostra differt.

Frutex est, e *radice* fortiore et ramosa, erectus, ramosus, *ramis* flexuosis *ramulisque* cylindricis, his praesertim dense fuscule setosis. *Aculei stipulares* et *sparsi*, basi a lateribus compressi lutescentes, apicibus nigricantes, leviter recurvati. *Petioli communes* bipollicares, inter pinnas densius pilosi, breviterque in setam producti. *Pinnae* 2½—4 poll. longae, digitato-approximatae, subhorizontales, una supremarum vulgo erecta. *Foliola* 30—60-juga subsessilia, arcte imbricata (in sicco), inaequaliter linearia acuta marginata, praesertim sursum setoso ciliata, setis suberectis, 3 lin. longa, ½ lata, superiora et inferiora minora, subtus venulis erecto-patulis superne tantum distinctis, tribus vulgo visibilibus instructa. *Pedunculi* axillares, gemini petiolo multum breviores. *Capitula* ellipsoideo-globosa, *bractee* sub anthesi floribus aliquid breviores, lineares, hirtociliatae, dein increscentes, maturis leguminibus intermixtae elongatae longaeque rigiduleque ciliatae, leguminibus tamen breviores. *Flores* parvi, *calyce* brevissimo 4-denticulato glabro, *corolla* infundibuliformi 4-dentata, extus prope dentes puberulenta. *Stamina* exserta *filamentis* fragilissimis flexuosis. *Legumina*, absque apice acutato setiformi, semipollicaria, plana, inter articulos contractiuscula, articulis dorso lenticularitumidis, setis vulgo in circulum dispositis radiantibus instructa, marginibus

que longe setosa, fragilia. *Semina* lenticulari-suborbiculata, laevia pallida subflavescentia.

Ejusdem speciei specimina habeo omnibus partibus duplo minora, nulla autem alia ratione diversa.

2. *Mimosa asperata* LINN., stirps perquam variabilis, in *America* et *Africa tropica* crescens, in *Surinamo* etiam occurrit; forma quam coram habeo, praesertim quoad folia iconem BREYNI *Centur. Tab. 19* refert, aculeis minus validis tamen differt. *Calyx* plurisetosus, pap-piformis. *Semina* obovoideo-cylindracea leviter compressa, longis et tortuosis funiculis appensa, juniorum hylo ciliolato, maturorum glabro.

3. *Mimosa camporum*, BENTH. *l. c. Tom. 2. p. 130*, in *Savanis Surinamensibus* viget variatque ramificatione, partium magnitudine et indumento, quemadmodum numerosa eximiaque specimina, a cl. FOCKE collecta, abunde demonstrant. Specimina adultiora, biennia probabiliter, ramosa, intricata, flexuosa, glabriora sunt, foliaque ferunt paullo minora, uberiusque florent. Simul cum his occurrunt juniora, graciliora, densius hirta, pilis flavicantibus seu *Mimosa flaviseta*, BENTH. in *Hook. Lond. Journ. of Bot. Tom. 2. p. 90*, quae species formis intermediis in *M. camporum* transit. Si ejusmodi completa speciminum serie caremus, revera illa primo adpectu nimis diversa et singularis adparet. Specimen HOSTM. n. 815 archetypum a speciminibus Fockeanis non differt, est vero unicum nec formarum seriem et nexum explicat.

Observatio. Neptunia Surinamensis, STEUD. (*ad n. 587 Herb. HOSTM.*) in *Flora Ratisb. 1843 p. 759* a *N. plena* BENTH. haud differt. Glandula ovata inter infimas pinnas in omnibus a me examinatis speciminibus adest, nec forma ab ea *N. plenae* diversa est.

P A R K I A, R. BR.

1. *Parkia nitida* (n. sp.), petiolo communi inferne tetragono antice plano plerumque uniglanduloso, inter pinnas antice acutangulo lateribus submarginulato, pinnis 10—8-jugis, rhachidibus dorso praesertim furfu-

racco-puberis, foliolis 25—30-jugis, baseos parte dimidia inferiore fere totis adnatis, inaequilatero-linearibus obtusissimis muticis, supra splendentibus, subtus pallidis, adultis glabris, binerviis, nervo medio prope apicem evanescente, impari prope marginem inferiorem decurrente, pedunculo compresso rhachique clavata rubiginose furfuraceo-puberulis, calycibus apice tomentellis, corollae glabrae brevissime exsertae dentibus secus margines tenere puberulis.

Herb. HOSTM. n. 1012.

Ingam filicinam, WILLD., ad quam cl. BENTHAM stirpem hanc pertinere putat, huc haud retuli, quum foliola mucronata dicat WILLDENOWIUS, quae in meis nec ita sunt nec fuisse unquam videntur, cum nervus medius infra apicem delitescat.

Petiolus communis 7—8 poll. longus, antice in parte nuda *glandula* ovali convexa, aliquando deorsum altera minori instructus, totus dorso convexus. *Pinnae* 5—5½ poll. longae. *Foliola* densa, sed haud imbricata, versus apicem aliquid latiora, fere recta, obtusissima, tota basi rhachi appressa, parte ½ inf. adnata, tenuiter marginata, rigida, coriacea, 3—5½, vulgo 5 lin. longa, 1½ lata. *Rhachides* basi tumidae. *Pedunculus communis* semipedalis. *Bractee* anguste spathulatae, basi filiformes, glabrae, apice rubiginoso-tomentellae, flores aequantes.

Quam sub eodem n. 1012 serius misit stirpem cl. KAPPLER («*Arbor* 80-pedalis, *floribus* flavidis, in sylvis umbrosis regionum interiorum ad *flumen Suriname*, m. April. 1846»), species diversa vel praecedentis forma magis juvenilis aut lusus videtur. *Petiolus* inferne antice uniglandulosus, minusque planus nec inter pinnas adeo acutangulus; *foliola* aliquatenus falcata, obtusiuscula nec apice plane rotundata, supra obscura, nigrescentia, nervis duobus impressis notata, dorso versus apicem appresse puberula, basique ultra insertionem rectangulariter producta, angulo a rhachi remoto. *Inflorescentia* et *flores* ut in ipsa specie praecedente.

CAESALPINIACEAE.

BAUHINIA, LINN.

1. *Bauhinia* (Tylotaea) *rosea* (Miq. in *Linnaea* Tom. 18 p. 388), foliis unifoliolatis lato-deltoideo-ovatis subacutis, basi truncatis, septem-nerviis, coriaceis, subtus petioluloque aureo-subsericeis, racemis elongatis multifloris, axi glabriusculo, pedicellis supra medium bibracteolatis aureo-sericeis, calyce virgineo ovato-conico, florente campanulato, parce sericeo, apice brevi-5-dentato dense pubescente, petalis longe unguiculatis basi puberulis.

In sylvis prope *Parakreek* et in regionibus sylvaticis interioribus apud flumen *Commewyne superius*, cl. FOCKE m. Septembri florentem invenit.

Rami obtuse tetragoni sulcati glabri, cirrhiferi. *Petiolus* cum *petiolulo* brevi crassiusculo $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ - pollicaris. *Folia* $2\frac{1}{2}$ —4 poll. longa, 2—3 lata, basi truncata vel concaviuscula. Racemi ramulos terminantes. *Pedicelli* 3 lin. longi. *Bractea* elliptica obtusiuscula basi coarctata pedicellum aequans. *Bracteolae* con-similes paulo minores brevi-petiolatae, in vivo ex cl. FOCKE albidae. *Calyx* paulo obliquus, striatus, 3 lin. circiter longus, in vivo roseus. *Petala* longe unguiculata, praesertim unguibus pubescentia, oblonga, obtusa, $1-1\frac{1}{4}$ poll. longa, rosea, vexillum basi intus flavum, fere floris papilionacei more disposita. *Stamina* 3 longiora, quorum 1 reliquis paulisper majus; 3 vel 2 paulo breviora; reliqua vulgo 4-duplo breviora vel omnino nana. *Ovarium* dense sericeum; *stylus* glaber, apice leviter incurvus.

TAB. II. Rami florentes et folium, naturali magnitudine.

a. alabastrum juvenile; b. provectius; c. idem a latere opposito, auct. magn.; d. flos cum bractea bracteolisque, aliquantulum auct. magn.; e. petala; f. genitalia; g. h. stamen, auct. magn.; i. pistillum, auct. magn.

Adnotatio. Nova species e sectione *Pauletiae* in *Herb.* KAPPL. n^o. 811^a exstat, *Bauhinia Hostmanniana*, MIQ., ramulis, petiolis foliisque subtus in nervis rubiginoso-hirtellis, foliis rotundatis basi truncatis, ad $\frac{1}{3}$ ab apice obtuse bilobis, septemnervis, membranaceis, supra glabris, subtus inter nervos canulopuberulis, stipulis filiformibus tenuissimis patentibus, racemulo oppositifolio paucifloro pubescente, bracteis lanceolatis, calyce appresse, in alabastro subsericeo-pubescente, antice ad basin fisso apiceque bidentato, petalis calycem multo superantibus glabris obovato-rotundatis. — *Petioli* 4—5 lin. longi. *Folia* $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ poll. longa et lata, subtus pallida, supra saturate viridia et glabra, nervo medio in sinu mucronato-producto. *Stipulae* 2 lin. longae. *Calyx* 5-lin., *corolla* $1\frac{1}{2}$ poll. longa; petala haud omnino aequalia. *Stamina* 5 fertilia, 5 sterilia.

V O U A P A, A U B L.

Ad *Vouapam bifoliam*, AUBL. *Guyan.* Tom. 1. p. 25. Tab. 7. (Macrobium hymenaeoides, MEY. *Prim. Esseq.* p. 17) referendum etiam esse *M. stamineum*, MEY. *l. c.* p. 18 (Vouapa staminea, DC. *Prodr.* Tom. 2. p. 511) olim suspicatus sum, nunc pro certo affirmare haud dubito. Monente enim b. VOGELIO (*Linnaea* Tom. 11. p. 413) stamina corollam vix superantia *V. bifoliae* perperam tribuit cl. MEYER; bracteolarum nervus medius, manifestus vel obtectus, characterem differentialem constantem minime praebet, in sp. meis enim mox valde prominens mox totus obsoletus in ejusdem ramuli floribus offenditur. Flores albos *bifoliae*, purpurascens *stamineae*, ejusdem tamen coloris esse, reliquis differentiis jam sublatis, eo lubentius crederem, quum KAPPLERUS eos *albidos* nec albos esse annotaverit. Color verisimiliter pallide purpurascens, nunc albidus, nunc purpurascens eodem fere jure dicendus. Collectores insuper, florum colorem indicantes, non semper ad petala (quorum in his stirpibus unum tantum visibile) sed etiam ad reliquas partes seu totum florem respiciunt.

Caeterum haec species (*Herb.* HOSTM. n. 1056. n. 1136. KAPPL. n. 1930)

foliolorum magnitudine et forma vehementer ludit, et haec quandoque in vegetioribus brevissime petiolulata reperiuntur.

Species huic valde affinis *Vouapa elegans*, quam in *Ann. d. Sc. natur.* 3^{me} Sér. Tom. 1. p. 40 proposui, foliolis constanter minoribus, obtusis, magis aequilateris rel. satis distincta videtur.

Nova hujus generis species est arbor quam m. Septembris florentem, prope plantationes *la Prosperité et Vierkinderen*, detexit *cl. FOCKE*. Primum *V. pendulae forma angustifolia* mihi videbatur, quam *cl. BENTHAM* in *Hook. Journ.* Tom. 2. p. 95 indicavit, ovario vero minime glabro procul dubio differt:

- *Vouapa chrysostachya* (n. sp.), foliis breviter petiolatis, foliolis sessilibus oblongo-lanceolatis acuminatis falcato-inaequilateris coriaceis glaberrimis subimmerse multiveniis, racemis axillaribus et terminalibus solitariis subsessilibus arcuato-recurvis dense aureo-hirtellis, floribus breviter pedicellatis, bracteolis orbicularibus (in alabastro acutiusculis) crasse coriaceis extus aureo-hirtellis, intus superne parce hirtis, ovario ad suturas hirtello, legumine dimidiato-suborbiculato apiculato, margine superiore incrassato, compresso, glabro.

Rami cylindranei glabriusculi. *Petioli* antice profunde canaliculati, 3—4 lin. longi. *Petioluli* nulli, sed basis folioli uno latere usque ad costam mediam deficiens, petiolulum e longinquo refert. *Foliola* haud crasse coriacea, supra subnitida, in sicco utrinque fuscescentia, costa nitida utrinque prominente, venis subpatulis numerosis tenuibus cum aliis tenerioribus intermixtis, in sicco vix prominentibus, in vivo specimine probabiliter obtectis, subtus notata, basi inaequali rotundata, apice longiuscule acuminata, acumine obtusiusculo hinc brevissime mucronulato, margine exteriori valde convexa, interiori concaviuscula, 4—5½ poll. longa, 9—11 lin. lata, convergentia, folium quasi ovatum efficientia. *Racemi* 3—4 poll. longi, inde a basi fere floriferi, angulati, pilis brevibus patentibus aureis dense hirtelli, nec ut in *V. bifolia* tomentelli, *cicatricibus* florum deciduorum inferne tuberculati. *Flores densi*, singuli *bractea* rotundata concava, praesertim extus dense hirtella, *pedicellum* aequante, decidua, suffulti. *Alabastro* ovoidea acuta. *Bracteolae* 2 oppositae valvatae,

bracteis conformes, coriaceae, crassae, $1\frac{3}{4}$ lin. longae, basi vix coarctatae. *Calycis lobi* glabri subcoriacei. *Petalum* ungue lineari antice canaliculato sustentum, obovato-oblongum plicato-subcrenatum, sub fortiori lente vix omnino glabrum, alte exsertum. *Filamenta* glabra, 5—7 lin. longa. *Ovarium* stipitatum obliquum compressum, stipite ovariique marginibus hirtellis, hujus faciebus glabris; *stylus* basi pilosus, *stigmatibus* parvulo capitellato plano-convexo. *Legumen* (immaturum) stipitatum dimidiato-ovatum, acute apiculatum, margine superiore incrassatum, inferiore acutum, faciebus planum, jam fere pollicare.

Observatio. *Hirtella glabra*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 760, arbuscula in Surinamo haud vulgaris, propter folia alterne pinnata (foliola pro foliis sumsit cl. auctor) ex ordine Chrysobalanearum ad praesentem verisimillime transferenda. Probabiliter ad novam *Crudya*e generis sectionem pertineat, bracteolis sub calyce deficientibus insignitam. *Flores* racemosi; *calycis* limbus quadrilobus, *lobis* basi in longum tubum seu *pedicellum*? coeuntibus, ad cujus imam basin *bracteolae* 2 minutae fugaces. *Ovarium* hirsutum 5-ovulatum.

E P E R U A, AUBL.

Parivoa, genus Aubletianum, cum *Eperua* omnino conjungenda videtur. AUBLETIUS *Eperuae* tribuit stamina 9 basi ima conjuncta, decimo libero, revera autem in *E. falcata*, stamina, ut DC. recte habet, 10 basi unita, unum tantum lateraliter magis divergens. In *Parivoa* mea subsequente eadem structura adest, et probabiliter in *Parivoae specie* Aubl., cui diadelphica stamina tribui solent, similis dispositio locum habeat.

§ 1. *Eperua*. Filamenta hirsuta, basi brevissime monadelpha.

§ 2. *Parivoa*. Filamenta glabra, basi breviter monadelpha (an et diadelphia?)

1. *Eperua* (*Parivoa*) *rubiginosa* (n. sp.), foliis glaberrimis, foliolis tri-

jugis oppositis petiolulatis pergamaceo-coriaceis ovatis vel ellipticis acuminatis, nitidis, venis immersis, inflorescentia flagellari elongata, remote racemigera, rubiginoso-tomentella, racemis brevibus densifloris, bracteis brevissimis concavis, pedicellis calycem aequantibus bracteolis duobus alternis exilibus instructis, lobis calycinis quatuor: duobus exterioribus praeter margines totis, tertio secus medium, quarto uno latere tomentellis, petalo erosulo crenulato, staminibus decem basi in brevem vaginam inaequalem conjunctis glabris, ovario stipitato dimidiato-obovato tomentello, stylo glabro.

Herb. HOSTM. n^o. 229. KAPPL. n^o. 1659. (*Eperua falcata* in sched.).

Arbor, in interioribus regionibus, secus flumen *Suriname*, m. Oct. florens a KAPPLERO lecta, floribus purpureis. In sp. HOSTM. foliola elliptica, in KAPPL. ovata, certe autem haud diversa. Ramuli laeves nitiduli. *Petiolus communis* subtrigonus vel dorso convexiore subtetragonus, antice sulcatus, 4½ poll. longus. *Petioluli* in sicco nigrescentes semiteretes, 1½—2 lin. longi. *Foliola* 1½—2 poll. distantia, 3—5¼ poll. longa, 1½—2¼ lata, inferiora vulgo magis ovata et breviora, superiora oblongiora, rigida, laevia, nitida, costa crassa subtus subcarinata, marginibus leviter incurva. *Inflorescentia* 3—4 pedes longa, *racemis* circiter septem, distantibus, 2—3-poll. longis curvatis, basi cicatrisato-tuberculatis, dense ferrugineis. *Pedicelli* 3—5 lin. longi, medio v. infra medium *bracteolis* 2 caducis haud oppositis. *Alabastra* 5 lin. longa, obovoidea. Loborum *calycinorum* superficies externa, quatenus in alabastro haud inclusa est, rubiginoso-tomentella. *Stamina* praefloratione incurva, *filamentis* flexuosis extimis, *antheris* linearibus circa stylum positis, 2 lin. longis, *filamentis explicatis* flexuosis, 1½ poll. longis, *vagina* 1 lin. *Ovarium* semipollicare subfalcato-obovato-dimidiatum. *Legumen* stylo acutatum, vix falcatum, obovato-dimidiatum, compressum, sutura ovulifera incrassatum, immaturum tomentellum, monospermum?

TACHIGALIA, AUBL.

1. *Tachigalia angustifolia* (n. sp.), petiolo communi acute triquetro apice mucronatim producto, cum petiolulis crassis foliolisque subtus tenere pallide subsericeo-puberulo, his supra parcis pilis inspersis, 8-jugis, ex ro-

tundata basi latiuscule lanceolatis, acutissime acuminatis, venis 12^{nis} usque 14^{nis}, inflorescentia terminali elongata rufula, calycis tubo oblongo-obovato obliquo striato, pedicellum circiter aequante, lobis rotundatis utrinque villosulis, petalis inferioribus tribus majoribus, staminum trium superiorum filamentis incrassatis falcato-recurvis, ovarii villosi stipite adnato, leguminibus mox glabratis.

Locis humidis secus *flumen Marrowyne*, m. Aug. detexit KAPPLER. (n^o. 1931. *T. polyphylla*, *michi*, in sched.).

Arbor floribus dilute flavis, ad § 1. apud TULASNE in *Archiv. Mus. d' Hist. Nat.* Tom. 4, referenda, aliquomodo cum definitione *T. paniculatae*, AUBL. apud illum auctorem congrua, sed cum ipsius AUBLETII tabula et descriptione collata, diversa habenda. Foliola enim in folio supremo sp. mei jam 8-juga, ex AUBL. ad summum 6-juga; lanceolata sunt nec ovalia. Flores manifesto majores petalis inaequalibus, in sp. AUBL. minores petalis subaequalibus; filamenta majorum staminum basi praesertim pilosa, et breviorum curvata, in *T. panicul.* vero omnia basi pilosa et breviorum recta; legumen admodum juvenile fere glabratum, in *paniculata* velutinum.

Folii supremi *rhachis* semipedalis, acute triquetra, antica facie plana, lateralibus concavatis, pilis appressis subvelutina; *petioluli* semiteretes, lineam longi, crassiusculi, nigrescentes; *foliola* 3—4 $\frac{3}{4}$ poll. longa, 7—10 lin. lata, recta quidem, sed pleraque inaequilatera, basi suboblique rotundata, subabrupte acutissime acuminata, haud crasse coriacea, venis subpatulis parallelis prominentibus tenerrime reticulatis. *Racemus* folio triplo longior, *pedunculo* trigono compresso, *rhachi* subcylindrico-angulata sulcata subflavescenti-pubescente. *Bracteae* lanceolatae, acuminatae, hirtellae, lineam longae, deciduae. *Pedicelli* semitereti-trigoni, dorso striati (in sicco), 1 $\frac{1}{2}$ —2 lin. longi, pubescentes. *Calycis lobi* rotundati, extus dense rufuli, intusque villosuli, fere 2 lin. longi. *Petala inferiora tria* majora, glabra, elliptica, unguiculata, circiter semipollicaria, 2 *superiora* minora villosula. *Stamina 7 inferiora* exserta recta, *filamentis* basi antice fuscule hirtellis; *trium superiorum* breviorum recurvatorum *filamenta* subfalcata glabra, *antherae* dorsifixae oblongae pallidae; *ovarium* aureo-villosum, stipite calycis tubo adnato; *stylus* filiformis pilosus, *stigmatibus* subcapitellato-umbilicatis. *Legumina* immatura calycis tubo persistenti suffulta, lanceolata, curvata, apice appresse pilosula, glabrescentia, matura verisimillime glabra.

TAB. III. Ramus florens cum folio, nat. magnitudine.

a. flos; *b.* duo calycis lobi; *c.* petalum superius, intus et extus; *d.* androecium; *e.* stamen majus; *f.* anthera a dorso; *g.* pistillum; *h.* stigma; figurae vario modo auctae.

SWARTZIA, WILLD.

1. *Swartzia Benthamiana* (n. sp.), petiolo communi antice canaliculato cum petiolulis et costa subtus pube flavida tenui subsericeo, foliolis trijugis cum impari, ovato-oblongis breviter obtuseque acuminatis membranaceo-coriaceis, supra glabris, subtus glaucescentibus tenuiter venosis pilisque tenerrimis inspersis, racemo, bracteis et calycibus subflavicansericeis, calyce quadripartito, petalo orbiculari unguiculato dorso velutino, staminum quatuor majorum filamentis pilosis, antheris lineari-oblongis, reliquorum numerosorum tenuiorum filamentis glabris, antheris ellipticis, ovario stipitato brevi oblique ovato dense sericeo, stylo brevissimo glabro.

Locis humidis ad *flumen Marrowyne sup.* m. Aug. legit KAPPLER. (n^o. 1929).

Foliola $5\frac{1}{2}$ — $6\frac{1}{2}$ poll. longa, $2\frac{1}{2}$ circiter lata, venis tenuibus parallelis, subtus praesertim versus basin distinctis. *Petioli* 2— $2\frac{1}{2}$ lin. *Racemus* $\frac{3}{4}$ pedalis. *Calycis lobi* 4 irregulares coriacei intus glabri, fundo calycino puberulo. *Petalum* obovatum undulato-subcrenatum, dorso partim velutinum. *Filamenta* majora divergenti-recurvata curvula. *Ovarium* stipitem aequans. *Stylus* fere nullus.

Adnotatio. *Swartzia bifida*, STEUD. (*Flor. Ratisb.* 1843. p. 757. *Hb. Hostm.* n^o. 683), arbor 40-pedalis floribus sulphureis, sylvestris in distr. *Para*, a *S. triphylla*, WILLD. (*Possira arborescens*, AUBL. 2. Tab. 355), fusiore AUBLETII descriptione comparata, diversa mihi haud videtur; petiolus mox nudus mox anguste subalatus; foliola emarginata in meis saepe offenduntur, quare *S. apteram* DC. huc etiam ducendam esse crederem. Staminum numerus inconstans; STEUDELII 12 vidit, quod

et ego, sed tunc plura abortiva ananthera semper adsunt. AUBLETIUS 25-26 vidit, quorum 6-7 abortiva; ipse in quibusdam etiam reperi 15-16 stamina antherifera, eundem itaque fere numerum ac AUBLETIUS.

Adnotationes de quibusdam Cassiae speciebus.

1. *Cassia savanensis*, MIQ. in *Ann. of Nat. Hist.* 1843. p. 15. *Linnaea* Tom. 18. p. 584, fruticulus debilis, partim decumbens, in savanis surinamensibus vix rarus, statura variabilis, prae reliquis *Cassiae ramosae*, VOG. *Syn. Cass.* p. 55 affinis est et e breviori hujus definitione stirpem surinamensem vix diversam ab ea esse lubenter statuerem; fusiore autem descriptione, quam beatus auctor in *Linnaea* Tom. 11. p. 704 proposuit, species has haud conjungendas esse, satis comprobari videtur. Differentiae sunt:

<i>C. savanensis</i>	<i>C. ramosa.</i>
<i>ramuli</i> glaberrimi	quandoque pubescentes.
<i>stipulae</i> e basi cordata ovato-lanceolatae, vix unquam basi subciliatae	cordato-lanceolatae basi subciliatae.
<i>petiolus</i> antice in sulco pubescens . .	duplici linea pubescens.
<i>foliola</i> obovata v. elliptico-obovata apice lato-rotundata basi inaequaliter, superiora vulgo $2\frac{1}{2}$, sed etiam $1\frac{1}{2}$ —3, vix $3\frac{1}{3}$ lin. longa, inferiora aliquid minora.	ex obovato anguste oblonga, basi obliqua, apice ex rotundato subacuta, superiora 5—7 lin. longa, inferiora saepe dimidio breviora.
<i>Sepala</i> interiora 3—4 lin. longa . .	circiter 8 lin. longa.
<i>Legumina</i> sparsim appresse pilosa . .	glaberrima.

Species Surinamensis saepe admodum depauperata, pygmaea et microphylla adparet, characteribus tamen, l. c. et hic a me propositis, minime mutatis. Num ad hanc *C. ramosa*, a cl. MEISNER ex *Herb. Kegeliano* citata? (*Linnaea* Tom. 21. p. 256).

2. *Cassia viscoso-pilosa*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 760, a cl. HOSTMANN lecta, vix satis a *C. viscosa*, H. B. K. mihi differre videtur.

3. *Cassia disadena*, STEUD. l. c., primo adpectu *C. patellariam* refert, statim vero leguminibus longioribus et praesertim glandulis duabus stipitatis urceolatis quasi tubaeformibus in singulo petiolo infra foliola obviis distinguitur. Eadem est quam e specimine incompleto tanquam *C. paramariboensem* in *Ann. of Nat. Hist.* l. c. proposui. Quam maxime affinis huic speciei est *C. Otterbeinii*, MEY. *Esseq.* p. 169, quae foliolis 20-jugis et glandula unica

tantum recedit a *disadena*, cui glandulae duae et foliola 12—14-juga 4—6 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ —1 lata, quandoque subpuberula, constanter competunt. Legumina circiter bipollicaria leviter curvula, sparsim appresse puberula. In phrasi Steudeliana inflorescentiae axillares perhibentur, sunt autem manifesto intrafoliaceae, i. e. inter folia aequali spatio a singulo distantes, ex ramulis exortae.

4. *Cassia ampliflora*, STEUD. l. c., arbor trigintapedalis, floribus aurantiacis, ad ripas fluviorum crescens, est *C. calliantha*, MEY. *Esseq.* p. 196 et haec eadem ac *C. multijuga*, RICH. in *Act. Soc. Hist. nat. Paris.* I., jam antea brevibus proposita. Ad eandem *C. magnifica*, MART., *C. fulgens*, WALL. (ex India orient. ubi probabiliter culta), et *C. Richardiana*, H. B. K. (sub quo nomine olim in *Linnaea* Tom. 18. l. c. enumeravi) verisimiliter referendae.

5. *Cassiae chrysogynae*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 585 verisimiliter annumerari debet varietas illa *C. chrysotrichae*, COLL., quam ex *Herb. KEGEL.* in *Linnaea* Tom. 20. p. 256 cl. MEISNER enumerabat.

LEPTOLOBIUM, Vog.

1. *Leptolobium costulatum* (n. sp.), foliolis (superiorum) uni-vel-bijugis cum impari, ramulis petiolo petiolulis costaque subtus rufule puberulis, foliolis oppositis breviter petiolulatis, terminali majori, obovato-vel lato-ellipticis, apice rotundato emarginatis, basi acutis vel obtusiusculis, coriaceis, supra glabris nitidis, subtus (ad lentem) tenerrimis pilis inspersis, venis patulis prominentibus pluribus reticulatis, panicula ampla terminali ramosa rubiginoso-tomentella, bracteis lineari-lanceolatis, bracteolis minutis, calycis extus rufo-pilosi lobis lato-triangularibus intus puberulis, corolla glabra calycem duplo superante, filamentis glabris, ovario dense hirsuto. — Sect. Euleptolobium.

Herb. HOSTM. n^o. 1299.

Ramuli juniores et paniculae trigono-compressi. *Foliola* $1\frac{3}{4}$ —3 poll. longa, 1- fere 2 lata, marginibus incurvata, supra nervis sulcata. *Calyx* 2 lin. longus.

Petala papilionaceo-disposita. *Antherae* oblongae. *Stylus* filiformis, *stigmatē* incurvato. *Legumen* deest, sed locus in hoc genere vix dubius videtur.

Adnotatio. Stirps quae in *Herb. Hostm.* sub n^o. 1164 adest, leguminibus etiam carens, et calyce breviori obconico-campanulato a congeneribus paulo abludens, huic tamen generi adscribenda videtur: ***Leptolobium nitidulum*** (n. sp.), foliis glabris, foliolis 3-4-jugis cum impari ovato-lanceolatis obtusiusculis, utrinque nitidulis, oppositis vel raro suboppositis, petiolulis antice pilosulis, racemis hirtellis paniculatis, bracteis lanceolatis, bracteolis linearibus, calycis tubo obconico-campanulato, dentibus 5, uno obtusiore, petalis subaequalibus.



PAPILIONACEAE.

Trib. DALBERGIEAE, R. BR.

SPHINCTOLOBIUM, VOG.

Dalbergiearum genera ***Lonchocarpus***, H. B. K., ***Sphinctolobium***, VOG. et ***Neuroscapha***, TULASN. e leguminibus praesertim distinguere oportet, quum characteres e vexilli forma et appendiculis derivati nullo pacto graves dici possint. Multarum autem specierum fructus nondum observati sunt, quo factum est ut plures vix nisi provisorie hisce generibus adscriptae sint.

Frutex surinamensis, quem ad ripas fluminis *Commewyne superioris*, violaceis floribus onustum, detexit am. FOCKE (etiam in *Herb. Kappl.* sub n^o. 758 exstat) quemque ad *Lonchocarpum?* *Pterocarpum*, DC.

dubitanter retuli (*Linnaea* Tom. 18. p. 565), ab hac specie, quae jam novum *Phyllocarpi* genus Riedelianum constituit, longe differt, ut accuratior TULASNEI adumbratio me docuit. Licet fructus speciminibus meis desint, ad *Sphinctolobium* referenda videntur, cujus characteres ab omni parte congruunt, si modo inflorescentiam haud ramosam, sed fere simpliciter racemosam, excipias.

1. *Sphinctolobium glaucescens* (n. sp.). *Rami* cylindrici glabri laeves, in sicco fusci, *ramuli* virides, subcylindrici, rarissimis pilis fugacibus inspersi. *Petioli communes* 3—5 poll. longi, tetragoni, tenuiter sulcati, praesertim antice pilosuli, tenues, ima basi incrassati. *Foliola* bijuga cum impari, opposita, *petiolulis* succulentis antice canaliculatis, densius hirtellis, 1- fere 2 lin. longis, sustenta, membranacea, pellucido-punctata (areolis pellucidis exilibus saepe angulosis vel elongatis), supra saturate viridia glabra, subtus in sicco glauca, in costa praesertim versus basin pilosa, caeteroquin ubique pilis tenerrimis appressis nitidis inspersa, nascentia vero luteo-sericea, elliptica vel ovato-lanceolata vel ferme ovata, basi obtusa vel rotundata, apice breviter vel obtusiuscule acuminata, costa subtus prominente, venis 6^{nis}, 8^{nis}, raro 10^{nis}, patulis tenuibus instructa, $1\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{5}$, vulgo 3 poll. longa, 8—12, vulgo 9—10 lin. lata, omnia supra mediam altitudinem petiolo inserta, superiora vulgo longiora, inferiora latiora. *Stipulae* parvae caducissimae. *Racemi* axillares, vulgo solitarii, a basi fere florigeri, 1—2- pollicares angulosi, appresse fulvo-pilosi glabrescentes. *Pedicelli* geminati oppositi aut alterni vel subverticillati, *bracteae* fugacibus spathulato-lanceolatis dense pilosis suffulti, simplices, vel raro communi pedunculo geminatim inserti, apice, fere infra calycem *cicatriculis* 2 oppositis (bracteolarum verisimiliter, sed quarum nulla superstes) instructi. *Calyx* lato-campanulatus, brevis, dorso supra basin obliquus, gibbosus fere, subcoriaceus, subbilabiatis inaequaliter 5-denticulatus, dentibus exilibus, trium anticorum medio paulo productiore, acutiusculo, lateralibus brevioribus obtusiusculis, duobus vexillaribus fere obsoletis, pilis appressis subsericeis, basi et in dentibus paullo densius pubescens, vix 2 lin. longus. *Petalata* imo calyci, ejus fundo fere, inserta. *Vexillum* unguiculatum lato-ovale, apice acutiusculum vel hinc subretusum, ibique dorso parvis pilis puberum, 5 lin. longum, basi planum leviter incrassatum, subplicatum, ungue antice toto canaliculato, praefloratione complicatum, sub anthesi erectum, divergens, an replicatum? *Alae* absque ungue fere 4. lin. longae, 1 lineâ angustiores, lineari-lanceolatae, basi inaequali extrorsum productae quasi auriculatae, vexil-

um fere aequantes, glabrae. *Carinae* petala alis conformia, basi haud adeo inaequalia, unguiculata, apice obtusiusculo cohaerentia, ibique antice et dorso puberula, alis paulo breviora paulumque latiora. *Tubus stamineus* monadelphus, basi tumidula dorso vulgo brevi-fissus, apice antice fissus, fissura serius fere tota longitudinali instructus, staminibus 3 posticis quandoque altius liberis subdiadelphus, filamentis superne liberis, *antheris* ovatis inaequalibus, anterioribus paullo altius productis. *Ovarium* e basi tumidula lineare sessile, flavo-sericeum, 2 lin. longum, pluriovulatum, *stylo* glabro quam illud paullo brevior, *stigmatibus* exili obtusiusculo-subplano.

TAB. IV. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. flos ineunte anthesi; b. flos florens; c. calyx; d. petala; e. androeceum; f. pistillum. Figurae auctae.

Adnotatio. *Müllera moniliformis*, LINN. *fil. Suppl. plant.* cum hoc genere et hac etiam specie comparari meretur. Stirps haec surinamensis, haud rara probabiliter, nondum satis illustrata, ex Herbario Linnaeano inquirenda est.

HECASTOPHYLLUM, P. BROWNE.

1. *Hecastophyllum Benthamianum* (MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 575), ramulis foliolisque subtus minutissime appresse puberulis, his 5 (raro 3) alternis vel suboppositis, inferioribus minoribus, terminali multo majori, lato-ovatis abrupte acuminatis, acumine lanceolato obtuso, pedunculis e veteribus etiam axillis densis cymoso-dichotomis, calyce puberulo, petalis longe unguiculatis, vexillo emarginato, staminibus plerumque novem diadelphis, quinto fasciculi vexillaris ad $\frac{1}{2}$ longit. vel toto libero, reliquis alte connatis, vel (?) octo aequaliter diadelphis, legumine (immaturo) elliptico-orbiculato.

Secus viam inter *Paramaribo* et plantationem *Tourtonne*, m. Septembris legit cl. FOCKE.

Petioli $4\frac{1}{2}$ — $5\frac{1}{2}$ poll. longi, rigidi. *Petioliuli* $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ lin. *Foliola* inferiora $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{3}{4}$ longa, terminale $4\frac{1}{2}$ —6 poll. longum, $2\frac{3}{4}$ — $3\frac{1}{2}$ latum, omnia super glabra, subtus discolora, venis patulis, fortioribus et obsoletis, prominulis

pertensa. *Inflorescentia* primum contracta fasciculato-cymosa, dein elongato-corymbiformis, ramis subhirtellis. *Bracteae* ellipticae concavae puberulae ciliatae. *Calyx* circiter lineam longus, limbo breviter subbilobo, hinc acute tri-, illinc breviter bi-dentato. *Vexillum* $1\frac{1}{2}$ lin. longum. *Carina* inferne fissa bipes.

TAB. V. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. et b. flores a ventre et dorso; c. petala; d. genitalia cum calyce; e. pistillum; (figurae auctae); f. stigma, fortiter auctum.

MACHAERIUM, PERS.

1. *Machaerium surinamense* (n. sp.), ramulis, petiolis, foliolis subtus praesertim in costa et inflorescentia fusco-hirtellis, foliolis trijugis cum impari, oppositis vel suboppositis raro subalternis, accrescentibus, petiolulatis, ellipticis, basi rotundatis, apice obtuso mucronatis, supra glabris, subtus pallidis costa validiuscula, venis crebris fere obtectis, paniculis axillaribus et terminalibus, saepe geminis, densifloris, floribus subsessilibus, bracteis concavis quam bracteolae duae oppositae ovato-rotundatae coriaceae striatae sparse hirtellae brevioribus, calycis sericeo-hirtelli dentibus tribus anterioribus productionibus acutis, duobus posterioribus approximatis obtusis, vexillo rotundato submarginato, basi plana utrinque subauriculato.

Herb. HOSTM. *Stipulae* spinescentes, recurvulo-patulae, lineari-lanceolatae, parvae, lutescentes. *Petiolus communis* dorso planus, antice convexiusculus, $1\frac{1}{2}$ —2 poll. longus. *Petioluli* $\frac{1}{2}$ —1 lin. longi. *Foliola* membranacea, 6—8 lin. longa, majora aliquando obovalia, maxima 2 poll. longa, 7 lin. lata. *Calyx* 1 lin. brevior. *Vexillum* cum ungue $2\frac{1}{2}$ lin., complicatum; *carina* obtusa, antice puberula, basi glabra. *Ovarium* stipitatum hirtellum.

Trib. L O T E A, DC.

TEPHROSIA, PERS.

1. *Tephrosia gynothrix*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 29.

Locis arenosis prope plant. de *Zwarigheid* et secus *Vredenburgerkreek*, m. Oct. florentem legit cl. FOCKE.

Haec species *Brissoniae sectioni* fortassis majori jure quam *Reineriae* adscribenda. Habitu certe *T. littoralem*, PERS., aemulat, sed foliolis plurijugis et angustioribus longioribusque facile jam distinguitur. *Tephrosia penicillata*, BENTH., quoad stigmatis structuram certe cum nostra comparanda, foliolorum numero minore longius distat.

Planta herbacea, basi suffrutescens?, pubescenti-hirta, *caulibus* subangulatis, humifusis? cum petiolis calycibusque hirtis. *Folia* fere sessilia, $4\frac{3}{4}$ —3 poll. longa, imparipinnata. *Petiolus communis* subsemiteres, antice sulcatus. *Petioluli* $\frac{1}{2}$ lin. vix longi. *Foliola* opposita, subhorizontalia, 6—8-juga, lineari-spathulata, obtusa vel rarius retusa, mucronulo brevi subarrecto terminata, laete viridia, membranacea, parallele venosa, utrinque appresse sparse pilosa, infima superioribus duplo et plus breviora, 6—9 lin., superiora 10—12 lin. longa, versus apicem $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin. lata, terminale approximatum conforme; quandoque, in supp., monstrose (cf. iconem) duplicata. *Stipulae* lineari-subulatae. *Racemi* oppositifolii, vulgo terminales, foliis duplo longiores, *floribus* subdistanter fasciculatis, 5—2-aggregatis, violaceis in sicco purpurascens. *Pedicelli* $1\frac{1}{2}$ lin. longi, tenues, demum longiores, infimorum fasciculi brevi-pedunculati. *Calycis*, pedicellum circiter aequantis, dentes tubum aequantes, lanceolati tenuiter acuminati hirti. *Flores* 3 lin. paullo superantes. *Vexillum* unguiculatum oblongo-rotundatum, dorso appresse hirtellum, 3 lin. fere superans. *Alae* breviores, carinae inferne adnatae, obtusae, obliquae, subsemilunares. *Carina* bipes curvata, obtusa, aequilonga. *Stamina* diadelpa, vexillari scil. libero ima basi tantum leviter adhaerente, tubi antice fissi *filamentis* antice altius liberis, tribus paulo longioribus. *Ovarium* lineare hirtum, fere 2 lin. longum, *stylus*

filiformis paulo brevior, adscendens; *stigma* capitellatum, basi pilis longis patulis penicillatum. *Legumen* nondum maturum lineare, leviter curvatum, compressum, junius stylo rostratum, appresse hirtellum, circiter 12-spermum, $2\frac{1}{4}$ poll. longum, $1\frac{1}{2}$ lin. latum.

TAB. VI.. Ramus floribus et leguminibus immaturis instructus, nat. magnitudine.

a. Flos ineunte anthesi; *b.* calyx; *c.* petala; *d.* androeceum; *e.* gynoeceum; *f.* leguminis immaturi valvula cum seminibus; omnes figg. auctae.

Adnotatio. ***Tephrosia toxicaria***, PERS., frutex elatior, secus flumen *Suriname sup.* a cl. FOCKE lectus, indigenis »Counami” dictus, piscatui eodem modo inservit ac in Guiana anglica, ubi teste cl. SCHAOMBURGK »*Yarro conalli*,” i. e. piscem *Yarro* necans, vocatur. Monente cl. FOCKE, hujus pariter ac aliarum stirpium ramis vel radicibus, flagellorum modo, ad pisces necandos, aquas fluminum concutiunt. Num vehemens et turbulentus aquarum motus aut potius principium narcoticum his stirpibus insitum, lethalem contra pisces efficacitatem exerceat, ulterius inquirendum videtur.

S E S B A N I A, LINN.

1. ***Sesbania picta***, PERS. *Ench.* Tom. 2. p. 316. stirps videtur, quam in Surinami oris maritimis cl. FOCKE legit, licet ab auctorum diagnosibus parumper abludat. *Foliola* scil. 10—20-juga, linearia, emarginata mucronata, praeter margines nascentium glabra, petiolulis cum petiolo communi pilosulis, suboppositis, saltem haud perfecte oppositis, stipellis exilibus duabus inter quodvis jugum. *Flores* cum diagnosi congrui. *Legumina* elongata, tetragono-compressa, articulata, *valvis* inter articulos extus fusco-maculatis. *Racemi* in siccatis erecti, nec penduli. Multis numeris nostra convenit cum specie senegalensi, *S. leptocarpa*, DC. *Prodr.* 2. p. 265, cui racemi erecti tribuuntur et quae forsitan a *S. picta* haud diversa; ipsa *S. picta* etiam in

palmetis *ins. Sti. Jacobi (Prom. viridis)* a cl. FORBES lecta est (*Niger-Flora* p. 121).

2. Speciem aliam elatiorem, prope *Paramaribo* lectam, foliolis multijugis glaucis insignem, praeunte cl. MEISNER (*Pl. Kegel.*) ad *Sesbaniam macrocarpum*, MÜHL. — DC. *Prodr.* l. c. retuli, licet foliola rectius linearia vel lanceolata quam elliptica dicenda sint. In *Herb. Hostm. sub n. 761* exstat, et eadem omnino stirps videtur *Lotus palustris*, *Flor. flum.* Tom. 5.

CROTALARIA, LINN.

Hujus generis species simplicifolia, quae in Surinami regionibus variis vulgata videtur, olim tanquam *C. nitens*, H. B. K. a me enumerata est et revera cum descriptione Kunthiana bene quadrat. Cl. STEUDEL (ad n. 593. *Herb. Hostm.*) tanquam n. sp. *C. Hostmanni* (*Flor. Ratisb.* 1843 p. 757) proposuit, cl. MEISNER (*Pl. Kegel.*) vero docuit stirpem esse indo-orientalem (nunc itaque in Novo Orbi calidiore diffusam) scil. *C. retusam*, LINN. Profecto a speciminibus asiaticis vix differt, nisi foliis paulo longioribus, subtus eleganter sericeo-nitidis. Num Humboldtiana stirps huc etiam referenda fit, haud jam pro certo affirmaverim.

CLITORIA, LINN. — MART.

1. *Clitoria amoena* (n. sp.), ramulis glabriusculis, foliolis lateralibus ovatis obtusiusculis, terminali late elliptico utrinque obtusiusculo, coriaceis, supra glabris, subtus subtomentello-pubescentibus pallidis, venis circiter duodenis, racemis crassis sparse villosis, floribus breviter pedicellatis, pedicellis basi bracteis ternis lanceolatis striatis villosis suffultis, calyce tubuloso-obconico 5-dentato villosulo, bracteolis duabus lineari-lanceolatis haud

plane oppositis triplo longiore, leguminibus breviter stipitatis lanceolato-linearibus stylo uncinatis.

Locis humidis ad *flumen Marrowyne inferius*, m. Julii florentem invenit KAPPLER (nº. 1933).

Ad *Cl. Poitaei*, DC. *Prodr.* 2. p. 234. referre vix dubitasset, nisi huic flores sessiles basi quasi tribracteati disertis verbis tribuerentur, dum in nostra tres bracteae ad basin pedicelli et duae bracteolae insuper ad basin floris inveniuntur. Racemi folio longiores et legumina etiam longiora, quam quae DC. in *Cl. Poitaei* describit.

Frutex, verisimillime haud scandens. *Petiolus communis* subtetragonus vel trigonus, antice canaliculatus, circiter tripollicaris, pilis parcis, longiusculis subpubescens. *Petioluli* $1\frac{1}{2}$ lin. longi crassiusculi, subsemiteretes, densius pubescentes. *Petiole communis pars inter foliola lateralia et terminale* 3—4 lin. longa. *Foliola* 3— $4\frac{1}{2}$ poll. longa, 2— $2\frac{3}{4}$ lata, venis patule erectis parallelis transverse reticulatis. *Stipellae* lineari-lanceolatae submembranaceae, dimidio petiolulo longiores. *Racemus axillaris*, 3— $3\frac{1}{8}$ poll. longus, *rhachi* rigida crassa. *Bracteae* ternatae (laterales scil. stipulaceae) subaequales, 2 lin. longae. *Pedicelli* $1\frac{1}{2}$ lin. longi. *Calyx* 6 lin. aequans, dentibus 2 posticis altius connatis. *Corolla* violacea. *Vexillum* bipollicare obovatum, apice late rotundato emarginatum, dorso parce puberum. *Legumina* stipite calycem aequante suffulta, compressa, nunc immatura pilosula, 6 poll. longa, 5—6 lin. lata, utraque sutura incrassata, apice rigide uncinata.



CHRYSOBALANEA E.

CHRYSOBALANUS, LINN.

1. *Chrysobalanus pellocarpus*, MEY. *Esseq.* p. 193. Species bona, a *Chr. Icaco* (cf. *icones* PLUMIER. et JACQ.) foliis minoribus elliptico-obovatis vel obovato-subrotundatis, basi cuneatis vel acutis, apice lato rotundatis

emarginatis, fere obcordatis facile distingui potest. Petala lanceolato-spathulata obtusa. Stamina exserta, uno latere floris longiora, filamentis hirtis. Fructus immaturus suppetit pyriformis angulato-sulcatus, pilis paucis rigidis inspersus. — In spec. n°. 476. *Herb. Hostm.* folia magis elliptica, basi minus cuneata; latiora adhuc sunt in specimine KAPPL, n°. 1913 («frutex fl. albis, baccis rubris dulcibus edulibus, in arenosis ad ostia *flum. Marrowyne*, m. Aug.)

HIRTELLA, JACQ.

1. *Hirtella hexandra*, WILLD. in ROEM. et SCHULT. *Syst. Veg.* Tom. 5. p. 274. (H. nitida, H. nemorosa, H. scandens *Herb. Willd.* et l. c. — H. violacea, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 761, teste specimine Hostm. n°. 860, phrasi licet non plane congruente).

Species in America calidiore haud rara, variabilis quoad foliorum formam, habitu H. americanam, AUBL. valde aemulans, floribus autem constanter hexandris haud difficili negotio cognoscenda.

Rami biennes haud crassi, cylindracei, glabrati, vernicosi, demum lentellosi, annui tenere et evanescenti-hispiduli. *Folia* disticha, *petiolis* crassis subcylindricis transverse rugosis serius rimosis, parce puberulis glabrescentibus, in sicco nigris, 1—1½ lin. longis, sustenta, oblonga vel lanceolato-oblonga, in acumen modicum rectum vel subobliquum subobtusum vel acutum desinentia, basi rotundata supra petiolum leviter emarginata, chartaceo-membranacea, 3½—7, ut plurimum 6 poll. longa, 1¼- fere 2 lata, raro latiora, marginibus planiuscula, in costa utrinque prominente, utrinque, praesertim subtus et versus basin, subtus partim etiam in venis, pilis rigidulis appressis raris instructa, caeterum glabra, venis circiter denis subpatulis arcuatis ante marginem conjunctis prominentibus reticulatis. *Stipulae* angustissime lineares rigidulae, curvatae, appresse pilosae, petiolo duplo longiores, pulvinari elevato insertae. *Racemi* axillares, in ramis praesertim biennibus, vulgo solitarii, quandoque gemini ternique, graciles, erecti?, ¾—1 pedem longi et longiores, breviter pedunculati, hispiduli, nascentes incanuli, ima basi *bracteis* squamaeformibus

stipati. *Flores* patentissimi, sparsi vel geminati ternatique, haud densi. *Bracteae* ad eorum basin 3, *una genuina*, major, lanceolata, basi cuneata, vix $\frac{1}{2}$ lin. longa, pubescens, summo apice hirtella, margine utrinque, plerumque versus apicem (nec semper tamen ita) 1—2 glandulis sessilibus concavis munita; *duaeque laterales*, exiles, minores, quarum una alterave nonnumquam deficit, quaeque situ omnino bracteae stipulas referunt. *Pedicelli* tenues, 2—3 lin. longi, puberuli, aliquando paulo supra basin bracteola exili muniti. *Alabastra* turbinato-globosa, quasi clavata, puberula; vix tenuiter hispidula. *Calycis tubus* obconicus, breviter turbinatus, tenerè puberulus glabrescens, limbo duplo brevior. *Hujus lobi* praefloratione quincuncialiter imbricati, elliptici, acutiusculi, vel duo interiores fere obtusi, aequilongi, 1 lin. vix aequantes, puberulenti, marginibus paulo densius et subciliolati, intus subincanuli, demum reflexi. *Petala* iis paulo longiora, in sicco flavescentia, elliptica, obtusa, basi lata inserta, erecta, conniventia, glabra. *Stamina* 6 fertilia, dimidium circiter circulum occupantia, *filamentis* semipollicaribus in sicco violacescentibus, ima basi subcoactis, apice attenuatis, *antheris* ellipticis emarginatis dorsifixis, caducis, sub praefloratione, filamentis subcontorto-incurvatis, spatium inter ovarium et calycem occupantibus; *filamenta sterilia* pauca, brevissima, filiformia, in opposito latere ope lentis distincta. *Ovarium* dense hirtum; *stylus* gracilis, versus basin pilis setosis patentibus raris hispidus, superne glaber, *stigmatibus* exili vix capitellato. *Fructus* oblique oblongus, puberulus, calyce filamentisque persistentibus suffultus, immaturus.

TAB. VII. A. Ramus florens, naturali magnitudine.

a. alabastrum; *b.* flos cum bractea et bracteolis; *c.* calyx; *d.* fundus calycis; *e.* petalum; *f.* antherae; *g.* stylus cum stigmatibus; figurae vario gradu auctae.

Inter specimina H. hexandrae, quae in interioribus coloniae regionibus collegit am. Focke, ramulos alterius speciei inveni, quae nullibi descripta fuisse videtur. En breviorum ejus adumbrationem:

2. *Hirtella hispidula* (n. sp.), ramulis petiolisque dense, foliisque subtus in nervis pilis patentibus hispidulis, illisque simul puberulis, foliis e basi rotundata oblongis acuminatis, supra praeter costam puberulam glabrescentemque glabris, venis octonis vel novenis patulis ante marginem unitis, stipulis lineari-lanceolatis membranaceis hispidis (an glandulosis?), racemis axillaribus pedunculatis folium superantibus hispidulis puberulis-

que, bracteis lineari-filiformibus puberulis parceque hispidulis glandula scutelliformi terminatis et secus margines minoribus sessilibus instructis, calycis lobis oblongo-lanceolatis obtusiusculis concavis dorso medio marginibusque hispidis tenuiterque puberulis, staminibus fertilibus 5 vel rarius 4, styli $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$ parte inf. hispida.

Petioli 1 lin. longi, cylindranei, nigricantes. *Folia* duplo minora quam in praecedente; racemi etiam multo breviores; *flores* ejusdem fere magnitudinis ac praecedentis. *Pedicelli* paullo supra basin fere *bracteolis* 2 exilibus muniti. *Lobi calycis* intus, praeter apicem, glabri. *Petala* oblongata acutiuscula. *Stigma* exile. *Ovarium* calycis tubo immersum, dense hirtum.

TAB. VII. B. *a.* racemus, n. magn.; *b.* flos cum bractea et bracteolis; *c.* petalum; *d.* antherae; *e.* stylus; figurae vario gradu auctae.

COUEPIA, AUBL.

1. *Couepia* (Eucouepia, BENTH.?) *Stuedeliana*. (Hirtella cognata, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 761).

Frutex in savanis crescens, propter staminum numerum Hirtellis haud annumerandus. *Calycis tubus* longus cum *limbo* oblique 5-partito extus rufulo-hirsutissimus; lobi exteriores reliquis duplo majores. *Petala* obovato-elliptica parva. *Stamina fertilia* 12—15 majorem, fere totam verticilli partem sistentia, longe exserta, *sterilia* brevia simul cum fertilibus. *Stylus* hirtellus. *Ovarium* hirtum inaequale. Reliq. cf. l. c.

2. *Couepia* (Hemicouepia, BENTH.) *glandulosa* (n. sp.), ramulis foliisque glabris, his breviter petiolatis inaequilateraliter oblongis breviter obtuse vel acutiuscule apiculatis, basi acuta vel obtusa subtus utrinque 1-2-glandulosis, venis circiter novenis erecto-patulis, racemis compositis cum calycibus puberulentis, floribus pedicellatis, bracteis caducis, calycis tubo elongato clavato obliquo sulcato, lobis 5 ovalibus obtusiusculis,

petalis oblongis glabris, staminibus 15 fertilibus fere $\frac{2}{3}$ verticilli occupantibus, ovario dense hirtio, stylo fere toto retrorse villosulo.

Herb. HOSTM. n^o. 859. — *Petioli* circiter $1\frac{1}{2}$ lin. longi, antice canaliculati, tenerrime puberuli, glabrati. *Folia* membranacea, subtus pallida, 3— $3\frac{1}{2}$ poll. longa, $1-1\frac{1}{3}$ supra medium lata. *Tubus calycinus* $2\frac{1}{2}$ lin. longus, cum pedicello brevi articulatus, *lobi* 1 lin. paulo superantes utrinque puberuli. *Petalata* $1\frac{1}{2}$ lin. longa, apice parce pilosula. *Filamenta* 2—3 lin. longa, *rudimenta sterilium* exilissima. *Stylus* apice glaber. *Ovarium* uniovulatum.

LICANIA, AUBL.

1. *Licania* (Eulicania, BENTH.) *micrantha* (n. sp.), foliis breviter petiolatis, lato-ellipticis obtusis vel brevissime obtuso-apiculatis, basi rotundata breviter subacutis, crasse coriaceis, supra nitidis glabris, subtus tomento imperceptibili subochraceis venisque costalibus quinque adscendentibus validis tenere reticulatis, spicis axillaribus et terminalibus paniculato-ramosis ochraceo-tomentellis, ramis patentibus bracteis lineari-lanceolatis appressis bistipulatis suffultis, floribus plerumque fasciculatis sessilibus semilineam circiter longis, calycis incano-tomentelli oblique brevi-campulati dentibus 5 brevibus ovato-triangularibus.

Herb. HOSTM. n^o. 1257. — *Licaniae parviflorae*, BENTH. affinis.

Rami glabri. *Petioli* 2—3 lin. longi, crassi, antice subsulcati, nascentes puberuli, adulti glabri, rimosi. *Folia* 2- fere 4 poll. longa, $1\frac{1}{3}$ —2 poll. lata, marginibus subincurva. *Stipulae* lineari-subulatae, rigidae, petiolo paullo breviores. *Spicae* 1—4- pollicares. *Calyx* intus puberulus, sub anthesi fere $\frac{1}{2}$ lin. longus, *dentibus* concaviusulis obtusis. *Stamina* 3 tubo inserta inclusa, dentibus opposita, *filamentis* brevibus glabris, *antheris* ellipticis dorsifixis. *Ovarium* fundo innixum, hirtum. *Stylus* brevis incurvulus, basi puberulus, superne glaber, inter duos limbi haud staminiferos lobos lateraliter divergens, *stigmatem* minuto.

2. *Licania* (Eulic.) *crassifolia*, BENTH. in HOOK. *Journ.* Tom. 2.

p. 221, cujus ni fallor specimina sunt *Herb.* HOSTM. et KAPPL. n. 794 et n. 1712, a *Licania incana*, AUBL., haud satis differre mihi videtur; folia in diversis a cl. FOCKE, in savanis surinamensibus, collectis speciminibus mox crassa coriacea aequilateraliter ovato-elliptica, mox minus coriacea, oblongiora minusque crassa, inflorescentia rufulo-tomentella, spicata. *Fructus* (immaturus) turbinato-pyriformis.



P O L Y G A L E A E.

SECURIDACA, LINN.

1. *Securidaca Hostmanni* (n. sp.), ramulis petiolis et inflorescentia tomentellis, foliis breviter petiolatis ovalibus obtuse apiculatis, basi rotundata leviter cordatis vel emarginatis, subtus pallidioribus; utrinque nitidis parceque puberulis, racemis axillaribus et terminalibus paniculatim aggregatis, sepalis tribus pilosulis, alis unguiculatis obovato-rotundatis apice puberulis, petalis lateralibus carinâque sparse pilosulis, hujus lobo medio plicato-cristato.

Speciem a guianensibus omnibus foliorum forma ac vestitu distinctam in Surinamo legit cl. HOSTMANN (Herb. n^o. 1086).

Folia 3—5 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, subpergamacea vel fere membranacea, supra splendentia, subtus pallida praesertim secus nervos pilosa, parvisque pilis ubique etiam inspersa.

MONNINA, RUIZ et PAV.

1. *Monnina membranacea* (n. sp.), ramulis petiolis foliisque junioribus in nervis tenerrime evanescenti-puberulis, foliis alternis breviter pe-

tiolatis, tenuiter membranaceis, utrinque nitidis, elliptico-oblongis acuminatis, basi acutis vel raro subcuneatis, venis senis vel octonis erecto-patulis remotius a margine arcuatim junctis, racemis terminalibus, alis obovato-rotundatis viridulis, carina, petalis lateralibus lineari-spathulatis obtusis adnata, triloba (lobis lateralibus ovatis obtusiusculis, medio concavato), fructu toto alato, ala viridi transverse nervosa reticulata apice emarginata.

In Surinamo cl. HOSTMANN detexit (*Herb.* n^o. 99). — Frutex? floribus *Securidacam* fere referens, habitu *Alsodeae racemosae*, MART., haud absimilis. *Rami* lignescentes, tenues, teretes, inferne glabri, infra petiolorum insertionem utrinque *stipulae* rudimento conico aculeiformi brevi duro decolori instructi. *Petioli* antice sulcati, circiter 1 lin., *folia* 3—5 poll. longa, rarius longiora, in acumen longum acutum vel breve obtusum desinentia, $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{1}{8}$ poll. lata. *Racemus* folio terminali oppositus $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longus. *Bractee* lanceolatae fugaces viridulae. *Pedicelli* tenues $1\frac{1}{2}$ lin. longi. *Sepala* 3 viridula ovalia, obtusa; alae 2 lin. longae, lutescenti-viridulae, ciliolatae, increscentes, persistentes, viridescentes ac demum magis oblongatae. *Petala* reliqua pallide carnea, alas haud superantia. *Fructus* junior membranaceus viridis, 3—4 lin. longus, orbicularis, bilocularis, *ovulo* in quovis loculo unico, ad $\frac{1}{3}$ alt. ab apice dissepimento appenso.

P O L Y G A L A, LINN.

Hujus generis species austro-americanae, a variis auctoribus propositae, pleraeque nondum satis illustratae, e brevioribus Prodrumi Candolleani diagnosibus haud tuto determinari possunt. Species Humboldtianae a cl. KUNTH, brasilienses Hilarianae a cl. CAMBESSEDES licet fuse ac accurate descriptae, ulterius tamen cum occidentali-indicis et guianensibus antea propositis, comparentur oportet, quum inter has stirpes, haud raro late diffusae et, quemadmodum europaeae nostrae Polygalae docent, pro stationum diversitate ludentes, probabiliter plures offenduntur quae plus semel tanquam novae descriptae fuerint. — Sequentes species e sectione *Timouta* sunt.

1. *Polygala sororia* (n. sp.), annua, ramulosa, caule striulato glabro, foliis sparsis anguste linearibus acutatis aveniis glandulose nec pelucido-punctatis, racemis spicaeformibus densiusculis ovatis demum elongatis, floribus deciduis breviter pedicellatis, sepalis duobus anticis elliptico-lanceolatis subacutis basi viridulis glandulisque 4—6 subinde obsoletis instructis, caeterum violaceis, postico paulo longiore eglanduloso, alis oblongo-obovatis obtusis trinerviis, roseo-violaceis, basi pallidis, capsula utrinque biseriato-glandulosa, seminibus anguste conicis acutis retrorse pilosis.

In *Joden-Savana*, locis arenosis, cum *P. longicauli* et *stellera*, m. Majo legit cl. FOCKE. In HOSTM. *Herb.* sub n^o. 175 eadem species exstat, quamque olim cum dubio ad *P. stelleram* DC. retuleram. Ab hac autem differt: statura teneriore, foliis omnibus sparsis et angustioribus, sepalo postico haud glanduloso, alis fere prorsus aequilateris, seminibus angustioribus, a *P. longicauli* alis carinam superantibus caet.

Radix rigidula, albicans, pollicaris, perpendicularis, tenuis, flexuosa, parce ramulosa. *Caulis* circiter spithameus, inferne teres, superne lineis e foliis decurrentibus striato-subangulatus, glaber, sub fortiore lente punctulis inspersus. *Folia* sparsa, remotiuscula, ima basi constricta pallida, caeterum angustissime linearia acutata subrevoluta, viridia, glandulosa, patula, 3—4 lin. longa, superiora multo minora, squamaeformia. *Flores* violacei, densi; *pedicelli* breves axis foveolis, basi *bracteae* rudimento marginatis, inserti, 1—1½ lin. longi, inferiores continuo decidui, florentes in racemum 3—6 lin longum collecti. *Bracteae* lanceolatae fugaces. *Sepala* antica alis triplo breviora, juniora viridula, dein pallida. *Petala* lanceolata obtusiuscula, basi aliquid angustata et *Carinae* pallidae superne violaceae, alis paulo breviori, dorso glandulosae, cristatae, ad ½ long. adnata. *Cristulae* ipsae tenerrime serrulatae. *Antherae* oblique unipores. *Stylus* brevis. *Stigma* globosum flavum appendice membranaceo fornicato apice penicillato superatum. *Capsula* ovata, membranacea, glabra, pallida, ntroque latere glandularum oblongarum serie duplici instructa. *Alae* increscentes oblongo-obovatae aequilaterae, trinerviae, nervo medio semper ad apicem ducto. *Semen* pyramidatum, *testa* nigra, pilis reversis albis obtecta. *Albumen* tenue, carnosum. *Embryonis* radícula acuta cylindrica, cotyledones plano-convexas obtusas aequans.

TAB. VIII. Planta subdeflorata, nat. magnitudine.

a. corolla absque alis et calyce; *b.* cristae segmenta valde aucta; *c.* stamina cum antheris jam apertis; *d.* stylus cum stigmate; *e.* capsula cum calyce et alis; *f.* capsula sub dehiscentia; *g.* semen; *h.* longitrosus sectum; *i.* embryo et ejus sectio transversa. Figurae vario gradu auctae.

2. *Polygala Hostmanni* (n. sp.), annua, erecta, basi vel apice ramosa, caule angulato, foliis sparsis, inferioribus subellipticis, reliquis elliptico-linearibus et lanceolatis acutis, carnosus subaveniis obsolete pellucido-punctatis, summis squamaeformibus, racemis subdensis oblongo-pyramidatis demum elongatis, floribus brevissime pedicellatis albidis, alis unguiculatis obovatis concavis, seminibus conicis retrorse pubescentibus.

P. scopariae, *variabili* caet. affinis, olim incaute *P. galioide* POIR. adscripta, ab HOSTMANNO detecta (*Herb.* n^o. 630).

Radix fibris rigidis tenuibus flexuosis. *Caulis* spithama brevior, inferne aphyllus teretiusculus pennam passerinam crassus, superne cum ramis angulosus. *Folia* basi contracta, quasi brevissime petiolata, patula, inferiora circiter 2 lin. longa, $\frac{1}{2}$ – $\frac{3}{4}$ lata, plerumque linearia, alia magis elliptica, omnia fere acutata nec mucronata, in sicco rugulosa, nec nervis nec glandulis manifestis; summa magis appressa et squamaeformia. *Racemi* ramulos fere usque apicem foliosos terminantes, florentes spicatim elongati, axi vulgo glaberrimo. *Flores* in sicco sublutescenti-pallidi, sessiles, parvi, $\frac{1}{2}$ lin. vix aequantes. *Sepala* anteriora lanceolata acuta, posticum fere aequilongum concavatum, pallidum, eglandulosum. *Alae* obovatae, apice lato-rotundatae, basi contractae, trinerves, nervis lateralibus haud ad apicem ductis, *carinam cristatam* plicatam superantes; hujus *cristae* mediae longae, laterales abbreviatae. *Capsula* ovata, emarginata, eglandulosa. *Semina* conica acuta, apice caruncula plana subrotunda glabra instructa.

M Y R T A C E A E.

P S I D I U M, LINN.

1. *Ps. polycarpon* (ANDERS. *mss. apud* LAMB. *in* *Transact. Linn. Soc.* Tom. 11. p. 231. Tab. 17.), ramulis teretiusculis hirtellis, foliis brevissime petiolatis plerisque obovato-oblongis obtusis vel acutiusculis, supra puberulis, subtus canescentibus, pedunculis trifloris, flore medio subsessili, calycis lobis intus sericeis, petalis pilis aliquot inspersis.

Fruticem, in *insula Trinitatis* ab ANDERSONIO detectum, l. c. icone satis accurata expressum, in Surinamo prope *Bergendaal* secus fluvium, m. Octobri florentem, invenit cl. FOCKE. In *Herb. KAPPLERI* sub n^o. 1706 exstat, et in Guiana anglica SCHOMBURGK legit (BENTH. *in* HOOK. *Journ.* Tom. 2. p. 317.). *Ps. multiflorum*, CAMB. huic proximum videtur.

TAB. XIV. A. — *a.* flos; *b.* demtis petalis et androeceo; *c.* petalum; *d.* anthera; *e.* styli apex cum stigmate; fig. auctae.

2. *Ps. guianense* (PERS. *Enchir.* Tom. 2. p. 27), ramulis teretiusculis glabris, foliis modice petiolatis ovalibus oblongisve glaberrimis punctatis, inferioribus obtusis, superioribus vulgo utrinque angustatis, pedunculis trifloris, pedicellis longis, calycibus glabris, stylo stamina superante, stigmate vix incrassato. — *Ps. fluviatile*, RICH. *mss. ex* DC. *Prodr.* Tom. 3. p. 235. — Speciem ob folia punctata et stigma vix incrassatum in hoc genere singularem in Coloniae districto *Para* detexit KAPPLER (*Herb.* n^o. 1700).

MYRTUS, LINN. (CAMB. in ST. HIL. *Flor. Brasil. mer.*)

1. *Myrtus calophylla* (H. B. K. *Nov. Gen.* Tom. 6. p. 133), glabra, ramulis tetragonis, foliis coriaceis elliptico-oblongis acutis vel subacuminatis, margine incurvis, aveniis, pedunculis axillaribus solitariis geminisve, calycis bibracteolati quinquefidi lobis reflexis ovalibus tubum multo excedentibus.

Speciem foliorum forma et magnitudine variabilem in coloniae regionibus interioribus cl. FOCKE detexit. *Folia* vulgo $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ -pollicaria. *Pedunculi* folio dimidio breviores. *Flores* majusculi. *Stylus* incurvus. *Formam luxuriantem* perperam tanquam *M. Goetheanam*, MART. olim enumeravi (*Tijdschr. voor Nat. Geschied. en Physiol.*).

β . *foliis minoribus*, 1— $1\frac{1}{2}$ poll. longis. *Myrtus revoluta*, J. C. SCHAUER in *Linnaea* Tom. 21. p. 272. Locis arenosis in *Joden-Savana* (KEGEL. n^o. 1148).

MYRCIA, DC. (CAMBESS. l. c.)

1. *Myrcia surinamensis* (n. sp.), ramulis petiolisque fusco-hirtellis, foliis breviter petiolatis ellipticis obtuse apiculatis, basi acutis vel obtusis, marginibus leviter incurvis, rigide membranaceis, subtus glandulose et pellucido-punctatis junioribusque sparse, in costa confertius, puberulis, thyrsis axillaribus solitariis terminalibusque puberulis: ramis patulis, inferioribus cymose plurifloris, superioribus simplicibus, bracteis linearibus ciliato-puberulis deciduis, floribus lateralibus pedicellatis, mediis sessilibus, basi bibracteolatis, calycis tubo obovato-globoso glabro, lobis quinque rotundatis glandulosis ciliolatis, petalis suborbicularibus erosulis.

In sylvis prope *pl. Bergendaal*, m. Octobri florentem, detexit cl. FOCKE.

Frutex; rami cylindrici crustis lichenosis albi. *Ramuli* patuli, superne praesertim foliis floribusque instructi. *Petioli* antice sulco exarati, brevissimi, cum

nervo medio in sicco fusculi. *Folia* $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longa, minora elliptica utrinque obtusiuscula, majora obtuse apiculata, venis subpatulis ante marginem confluentibus. Inflorescentiae cum pedunculo 1—2-pollicares, ramis inferioribus oppositis apice 3—5-floris, summis saepe alternis. *Flores* parvi. *Filamenta* petala circiter aequantia, apice quidpiam incrassata.

TAB. IX; B. Ramus florens, nat. magn. — *a.* flos cum pedicello; *b.* calyx; *c.* petalum; *d.* stamen; *e.* styli apex; figurae vario gradu auctae.

2. *Myrcia sylvatica* (DC. *l. c.* p. 244. J. C. SCHAUER *l. c.* p. 274), innovationibus sericeo-hirtellis, ramulis teretiusculis rhachique inflorescentiae pubescentibus, foliis brevissime petiolatis distiche patentibus, subovato-ellipticis vel sublanceolatis in acumen longum obtusum attenuatis, coriaceis, margine incurvis, juvenilibus ciliatis pellucido-punctatis, supra lucidis costaque impressis, subtus pallidis subopacis, thyrsis axillaribus solitariis folium subaequantibus simplicibus, calycis tubo obconico tenuiter sericeo, lobis quinque brevibus ovatis ciliolatis et cum disco pubescentibus. — *Myrtus sylvatica*, MEY. *Esseq.* p. 191, cum descriptione accurata, at perperam stylos 3 dixit. — Frutex locis sylvaticis et arenosis vulgaris, 6—8-pedalis, praecedenti affinis. *Folia* sesquipollicaria, 6—8 lin. lata, juniora subtus sericea, adulta glaberrima. *Inflorescentiae* paniculaeformis rami tennes, patentissimi, triflori flore medio sessili, vel superiores uniflori. *Bracteolae* membranaceae, lanceolatae, caducae. *Flores* parvi. — (HOSTM. n^o. 818. KAPPL. n^o. 1699. KEGEL n^o. 215, 1313).

TAB. IX. A. ramus florens, nat. magn. *a.* flos auct. magn.

Observatio. Foliorum forma et habitu haec species valde similis est *Eugeniae Mini*, AUBL., e tabula Aubletiana mihi tantum notae, numero partium floralium quaternario vero generice distinguendae.

3. *Myrcia Berberis* (DC. *l. c.* p. 254. SCHAUER *l. c.* p. 273), arborea, ramulis compressis obtusangulis cum foliis novellis pedunculis pedicellis-

que substrigoso-sericeis, foliis brevissime petiolatis ellipticis oblongisve longe et abrupte acuminatis (acumine obtuso), planis, coriaceis, pellucido-punctatis, venis tenuibus citra marginem confluentibus, adultis utrinque glaberrimis supra lucidis, subtus pallidioribus et subopacis, thyrsis axillaribus solitariis folio vulgo brevioribus, calycis tubo obconico sericeo, lobis rotundatis pubescentibus. — *Eugenia paniculaeflora*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 762.

Arbor floribus albis in Colonia haud rara (Focke, HOSTM. n°. 372, 485, HOSTM. et KAPPL. n°. 483, 1246, KEGEL n°. 214, 479, 840, 1288).

Folia 3—5-pollices longa, 12—22 lin. lata. *Inflorescentiae* densae; ramuli triflori. *Calycis* lobi utrinque pubescentes, discusque densa pube obtectus. *Petala* calyce longiora, extus tenuiter pubescentia. *Bacca* elliptica.

Adnot. Species, quae in *Herb.* HOSTM. sub n°. 881 et KAPPL. sub n°. 755i adest, e brevi phrasi Prodromi Candolleani *Myrcia divergens* ejus auctoris mihi esse videtur. *Calyx* ovato-globosus glaber. *Folia* glabra, rigida, elliptica vel in apiculum obtusum terminata, subtus reticulata.

CALYPTRANTHES, SWARTZ.

1. *Calyptranthes obtusa* (BENTH. in HOOK. *Journ. of Bot.* Tom. 2. p. 319), foliis rigidis ovatis obtusis, pedunculis trichotomis, floribus petaliferis.

Locis arenosis in *Joden-Savana* legerunt HOSTMANN (n°. 1176) et KEGEL (n°. 216). — *A. C. Suzygio* petalorum praesentia jam distinguitur.

EUGENIA, LINN.

§. Pedunculi axillares uniflori.

1. *Eugenia uniflora* (LINN. *Spec.*). — *E. Michellii*, LAM. DC. *Prodr.*

Tom. 5. p. 263. *Plinia rubra*, LINN. *Mant.* p. 243. *Plinia pedunculata*, LINN. *fil. Suppl.* p. 253. *Bot. Magaz. Tab.* 473. *Myrtus brasiliiana*, LINN. *Spec.* p. 674. *Eugenia*, MICH. *Nov. Gen. Tab.* 108. — In hortis surinamensibus vulgaris, culta sub nomine *Zoete Kers* (*Cerasus dulcis*).

§§. Pedicelli axillares 2—3 vel plures, pedunculo communi brevissimo fere nullo.

2. *Eugenia dipoda* (DC. *l. c.* p. 268), ramulis subcompressis puberulentis, adultis glabris, foliis ovalibus vel oblongis in acumen breve et obtusum coarctatis basi que acuta in petiolum brevissimum contractis, margine incurvis, glabris, pellucido-punctatis, pedicellis axillaribus geminis folio brevioribus, bracteolis sub flore minutis, tubo calycis obconico, lobis orbiculatis ciliatis reflexis.

Frutex vel arbuscula locis arenosis haud rara; in *Joden-Savana*, prope *Mariepaston*, *Oranjewoud* caet. legerunt cl. FOCKE et KEGEL (nº. 1143 et 1296). *Folia* 1—1½ poll. longa, 5—7 lin. lata. *Pedicelli* raro solitarii. *Flores* albi.

Forma grandifolia: foliis ovatis ellipticis breviter obtuse acuminatis, 2—2½-pollices longis, 1½ latis. *E. surinamensis* MIQ. *Herb.*, vix species, cui *E. stigmatica*, DC. *l. c.* probabiliter annumeranda. In apricis arenosis prope *Bergendaal* invenerunt cl. FOCKE et KAPPLER (nº. 1401^a).

§§§. Flores axillares subsessiles glomerati.

3. *Eugenia protracta* (STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 762), ramulis petiolisque tenere pubescentibus, foliis modice petiolatis e basi acuta ellipticis longe subabrupte acuminatis, saepe subobliquis, pellucido-punctatis, venis teneris patulis prope marginem unitis, floribus axillaribus glomeratis subsessilibus, calycis tubo obovato glanduloso, lobis obtusis ciliolatis, petalis subpuberulis.

Cl. HOSTMANN detexit (nº. 1192). *Herb.* KAPPL. nº. 1159. Proxima est

E. ciliolatae, CAMB. in ST. HIL. *Flor. Bras. mer.* Tom. 2. p. 344. *Folia* $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{2}{3}$ poll. longa, $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{4}$ lata. *Bracteolae* ad basin calycis 2 appressae basi subconnatae.

4. *Eugenia marowynensis* (n. sp.), glabra, ramulis subtetragonis, foliis breviter petiolatis oppositis distichis, oblongo-lanceolatis utrinque acutis, margine leviter revolutis, coriaceis, subtus (in sicco nigro-) punctatis, venis erecto-patulis distantioribus ante marginem unitis, floribus axillaribus et supraaxillaribus 3—4, brevissime pedicellatis, calycis tubo obconico demum obovoideo basi bibracteolato, lobisque ovatis glandulosis, stylo stamina longe superante, flexuoso, flore ter quaterve longiore.

In regionibus coloniae interioribus secus *flumen Marrowyne*, m. Augusto floribus flavidis instructam detexit KAPPLER (nº. 1919). Manifesto ad *E. longifoliam*, *undulatam*, *anastomosantem*, *microsporam* (DC. *l. c.* p. 269) accedit.

Ramulorum cortex fuscus in exsiccatis secedens. *Petioli* fuscescentes, antice canaliculati, 2—3 lin. longi. *Folia* 7—8 poll. longa, $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{2}{3}$ lata, costa versus basin supra canaliculata, subtus prominente colorata. *Flores* ex ipsis axillis vel supra eas orti, 2-vulgo 3—4, *pedunculo communi* nullo, *pedicellis* $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ lin. longis. *Tabus calycis* costulatus, pedicello paullo longior, superne aliquid constrictus; *lobi* reflexi, 2 paulo majores ovati, $\frac{1}{4}$ lin. circiter longi; sub lente fortiore vix quidquam ciliolati. *Petala* parva. *Stylus* 3 lin. longus, acutus.

Adnotatio. Ad *Eugeniã ramifloram*, DESV. in HAMILT. *Prodr. Ind. occ.* p. 43, stirps spectabilis referenda videtur, quae in *Herb. KAPPL.* sub nº. 1365 edita est. In specimine suppetente haud satis completo *folia* octopollicaria, *ovarium* biloculare, loculis pluriovulatis, *calyx* cum *lobis petalisque* sericeo-tomentosus, *stylus* glaber.

5. *Eugenia tenuiramis* (n. sp.), glabra, ramis teretibus, ramulis tenuibus subcompressis nitidis, foliis oppositis distichis petiolatis, elliptico-

lanceolatis attenuato-acuminatis, basi acutis, subobliquis, pergamaccis, supra nitidis, subtus pallidis nigro-pellucidoque-punctatis, costa colorata, venulis tenuissimis subpatulis, floribus axillaribus et e medio internodio, aut absque pedunculo communi aut e tali brevi bracteato pedicellatis, vulgo 5—6, pedicellis petiolum superantibus vel aequantibus, calyce brevi-campanulato basi bibracteolato, limbi lobis quatuor tubum aliquid superantibus, duobus minoribus, duobus majoribus ovatis petalisque glandulosis, stylo staminum longitudine basi apiceque attenuato curvato.

In savanis regionum interiorum ad *Suriname flumen* m. Aprilis legit KAPPLER (n^o. 1920).

Arbuscula floribus albis. Petioli semiteretes, antice sulcati, 2 lin. longi. *Folia* exsiccata supra nigricantia costaque sulcata, venis in pagina inf. tantum distinctis tenuissimis ante marginem unitis, omnia in acumen longum sublineare plerumque obtusum desinentia, 3—4 $\frac{1}{4}$ poll. longa, 1—1 $\frac{1}{4}$ lata. *Pedunculus communis*, ut plurimum deficiens, vix lineam aequans, *bracteis* minutis ovatis obsitus. *Pedicelli* tenues, glandulosi, 2—3 lin. longi. *Bracteolae* minutissimae, ovatae, acutae. *Calycis tubus* $\frac{1}{4}$ lin. longus. *Petala* suborbicularia, lineam fere superantia. *Stylus* 1 $\frac{1}{2}$ lin. longus. *Antherae* ellipsoideae.

§ § §. Pedicelli ex axillis defoliatis.

6. *Eugenia chrysophyllotides* (DC. l. c. p. 276), ramulis compressis pube tenera rufulis, foliis breviter petiolatis, lato-vel ovato-ellipticis acuminatis, subtus subsericeo-pubescentibus, thyrsulis ex axillis veteribus valde abbreviatis, pedicellis longiusculis, bracteolis duabus oblongo-rotundatis appressis, calyce hirtello glanduloso, lobis reflexis glabrioribus, stylo elongato.

Prope *Paramaribo* in via ad *Kwatta* invenit cl. FOCKE. In *HOSTM. Herb.* etiam exstat.

Frutex, floribus albis, e ramis biennibus cinerascens copiose exsertis, ramulisque bifarie foliiferis, folium abrupte pinnatum referentibus, singularem

habitus prae se fert. *Folia* in singulo ramulo 4—8, 3—4-pollices longa, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{4}$ lata. *Petioli* circiter bilineares. *Inflorescentiae* valde contractae, basi in ramulos tuberculiformes partitae. *Pedicelli* 2—3 lin. longi, *stylum* fere aequantes. *Calycis* tubus ovoideus.

TAB. X. Ramus ramulosus florens, nat. magnitudine.

a. flos; b. calyx; c. petalum; d. stamen; e. styli apex, auct. magn.

§ § § §. Thyrsi cymosi v. paniculaeformes axillares aut terminales.

7. *Eugenia atropunctata* (STEUD. in *Flor. Ratisb.* 1843. p. 762), ramulis teretibus glabris, foliis oppositis breviter petiolatis, ovatis vel ovato-oblongis acutiuscule acuminatis, basi acutis, glabris, (in sicco!) nigro-fuscove-punctatis, thyrsis paniculaeformibus axillaribus folio brevioribus, bracteis ovatis acutis, bracteolis ad basin calycis duabus, lobis calycis obtusis ciliolatis.

Secundum HOSTM. *Herb.* a cl. STEUDELIO proposita, *Eug. salicifoliae* H. B. K. *Nov. Gen.* Tom. 6. Tab. 541. affinis videtur. *Petioli*, *costa*, *rhachis lobique calycini* glandulosi.

8. *Eugenia polystachya* (RICH. in *Act. Soc. Hist. Nat. Paris.* 1. p. 110. DC. l. c. p. 280). Cum breviori phrasi, excepto calyce qui puberulus nec »pubescenti-villosus,» congruit specimen *Herb.* KAPPL. n°. 1701.

9. *Eugenia polyantha* (MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 741). KAPPLER *Herb.* n°. 1385.

10. *Eugenia Schaueriana* (n. sp.), glaberrima, foliis oppositis membranaceis subtus sparse vix pellucido-punctatis, margine incurvulis, oblongis in acumen modicum lineare obtusum desinentibus, basi cuneata in petiolum semiteretem glandulosum demum rimosum contractis, venis subpaulis subtus vix distinctis, thyrsis axillaribus et terminalibus longe pedun-

culatis gracilibus: ramis paucis oppositis, inferioribus apice trifloris (flore medio sessili), superioribus unifloris, calycis lobis orbicularibus subinaequalibus glaberrimis.

Herb. KAPPL. n^o. 1429. Prope *E. patulam*, DC. — *Rami* tenues, laeves, teretes. *Petioli* $1\frac{1}{2}$ lin., *folia* 4— $4\frac{1}{2}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lata, utrinque nitidula, costa prominente. *Inflorescentia* cum pedunculo 2— $2\frac{1}{4}$ pollicaris. *Flores* parvi, *disco* staminifero lato. *Petala* suborbicularia, glabra.

M E M E C Y L E A E.

M O U R I R I A, Juss.

1. *Mouriria polyantha* (Miq. in *Linnaea* Tom. 18. p. 290), foliis breviter petiolatis, ovatis ellipticisve acutis vel subattenuato-acutis mucronatis subcomplicatis extenuato-marginatis, supra nitidis, subtus pallidis, subaveniis, umbellis paucifloris axillaribus terminalibusque pedunculatis vel sessilibus, pedicellis medio bibracteolatis calyce longioribus, petalis ellipticis acuminatis retrorse denticulatis pallide roseis, calcare antheram dimidiam aequante. *M. guyanensis*, Hook. in *Journ. of Bot.* Tom. 2. p. 23, *excl. syn.* AUBL. et SW.

Prope *Paramaribo* in via ad *Kwatta*, et secus *fluvium Commewyne* legit cl. FOCKE. In *Herb.* HOSTM. sub. n^o. 865. exstat.

Arbuscula vel frutex, floribus pallide roseis a *M. guyanensi* jam distincta, in *Brasilia* a cl. GARDNER etiam lecta. *Rami* teretes, cinerei. *Petioli* crassiusculi semiteretes, antice sulcati nec lineam longi. *Folia* patentia, in vivo complicata et supra avenia, in sicco patentim venosa, nitida, ad lentem elavato-punctulata, subtus pallida, avenia, costa prominente notata, margine extenuato leviter incurva, basi plerumque rotundata, apice raro subacuminata; $1\frac{1}{4}$ —2, raro 3 poll. longa, 1— $1\frac{1}{2}$ lata. *Umbellae* inferiores saepe sessiles,

superiores breviter pedunculatae, axillares et terminales, vulgo triflorae; *pedunculus communis* apice bibracteatus; *pedicelli* 2—3 lin. longi, paulo supra medium articulati bibracteolatique, *bracteolis* oppositis lanceolatis carinatis. *Ramuli* annui florent, dum biennes adhuc folia baccasque ferunt. *Inflorescentia* cymosa dicenda, *pedicellis* aliquibus etiam dichotomis. *Calyx* campanulatus, basi constrictus, circa ovarium globosus. *dentibus* lato-triangularibus acutis cum tubo viridibus, *pedicello* vero cum ima calycis parte subcolorato. *Petala* breviter unguiculata, acuminato-rostellata, parte dimidia inferiore undulato-denticulata, praesertim versus apicem rosea. *Filamenta* elongata, filiformia, alterna aliquid breviora, *petala* multum superantia; *antherae* oblongae obtusae, loculis antice sulco distinctis, connectivo incrassato in calcar conicum obtusum, $\frac{1}{2}$ antherae longitudinis, producto, in sicco fusco, adnatis, infra apicem rimula subsemilunari curvata apertis. *Stylus* stamina superans, leviter curvatus, *stigmatibus* minuto semiconvexo. *Baccae* inaequaliter globosae, monospermae, limbo calycino coronatae.

TAB. XI. Ramus florens, nat. magn., secundum vivum a cl. FOCKE delineatus. *A.* ejusdem pars sec. siccum specimen.

a. alabastrum, auct. magn.; *b.* flos nat. magn.; *c.* idem explicatus, auct. magn.; *d.* petala, *e. f.* antherae; *g.* diagramma floris; *h.* bacca; *i.* eadem paulo aucta.

2. *Mouriria guyanensis* (AUBL. *l. c.* Tom. 1. p. 453. Tab. 180), foliis breviter petiolatis, elliptico-oblongis sublanceolatisque acuminatis coriaceis punctulatis aveniis, margine subcartilagineo leviter incurvis, umbellis axillaribus et terminalibus subfasciculatis, calycis late breviterque campanulati dentibus latis brevibus minute apiculatis, floribus vitellinis.

In districto *Para*, prope plantationem *la Prosperité* legerunt cl. FOCKE, HOSTMANN (n^o. 408) et KAPPLER (n^o. 598^a).

Specimina cum icone Aubletiana satis congrua, si demis venas in icone manifestas, in speciminibus siccis vero immersas, quemadmodum AUBLETIUS etiam describit. *Petioli* lineam longi. *Folia* costâ supra sulcata subtus prominente notata, 2—5 $\frac{1}{2}$ poll. longa, 1 $\frac{1}{4}$ —2 lata. *Flores* in cymis dichotomis plurifloris dispositi; *pedicelli* 1—3 lin. longi, prope basin *bracteolis* dein caducis stipati. *Calyx* subturbinatus, limbi (in sicco citrini) *dentibus* demum inflexis, lineam superans, basi nudus. *Petala* praefloratione in conum attenuato-acuminatum

satis longum convoluta, in sicco coriacea, brevissime unguiculata, rostrato-acuminata, versus basin subdenticulata. *Antherae* conico-calcaratae. *Stylus* leviter curvatus, *stigmatē* parvulo.

Adnotatio. Plures hujus generis species nondum satis extricatae, saepe nimis breviter descriptae, adhuc accuratiori examine indigent. Quam CANDOLLEUS in *Prodr.* (Tom. 3, p. 7.) *M. guyanensis* nomine descripsit, ab Aubletiana stirpe diversam habeo, nam folia *penninervia* dicit. *Petaloma Mouriri*, Sw. *Ind. occ.* Tom. 2, p. 835, ab hac ob bracteolarum dispositionem etiam differre videtur. — Species nunc novimus sequentes:

a. Petalis roseis.

1. *M. mexicana*, DC. l. c. p. 8.
2. *M. domingensis*, WALP. *Repert.* Tom. 2. p. 149.
3. *M. polyantha*, MIQ. supra.

b. Petalis albis.

4. *M. cauliflora*, DC. l. c. p. 7.
5. *M. myrtilloides*, POIR. — DC. l. c.

c. Petalis flavis.

6. *M. guyanensis*, AUBL.
7. *M. Pusa*, GARDN. in HOOK. *Journ.* Tom. 2. p. 23.

d. Petalorum colore incognito.

8. *M. parvifolia*, BENTH. in *Sulph. Botany*, p. 97. Tab. 36.
9. *M. arborea*, GARDN. in HOOK. *Icon.* Tab. 515.
10. *M. brevipes*, HOOK. *Journ.* l. c. p. 24.
11. *M. grandiflora*, DC. l. c. («petala basi attenuata» num recte, nam vulgo apice attenuata inveniuntur).



MELASTOMACEAE.

Subordo MELASTOMEAE. *Trib.* MICONIEAE.

HENRIETTEA, DC.

Calyx campanulato-turbinatus, *limbi dentibus* quinque brevibus. *Petalata* quinque ovalia vel oblonga (velutina). *Stamina* decem, *antheris* elliptico-linearibus rostratis uniporis, basi bifidis vel subintegris. *Ovarium* calycis fundo partim adnatum, *stylo* cylindrico, *stigmatate* parvo. *Bacca* quinquelocularis, calycino limbo subdifformi coronata, nuda. — Arbores vel frutices praesertim guianenses, *foliis* 5- vel 5- pli-nerviis, *pube* vulgo scabriuscula, setulis e pilorum stellatorum tenerrimorum centro ortis, *floribus* ex axillis defoliatis fasciculatis, *baccis* ut *Loreyae* et *Blakeae*, plerumque edulibus.

Genus naturae consentaneum, caractere paulum locupletato, *H. Patrisianam*, propter antheras basi fere integras minime expellendam, apte includit. *Loreya* antheris erosibus stigmatateque crasso capitato-subpentagono haud difficili negotio discernitur, habitu licet consimili imbuta.

§ Antherae basi bifidae; stylus crassiusculus stamina aequans.

1. *Henriettea surinamensis* (n. sp), ramulis tetragonis petiolis foliisque subtus setulis appressissimis pubeque tenerrima stellata obtectis, his breviter petiolatis subobovato-ellipticis in apiculum brevem submucroniformem desinentibus, integerrimis, subquintuplinerviis, nervis tribus validis paulo supra basin liberis, duobus marginalibus tenuibus, supra parce setulosis,

subtus lutescentibus, calycis setulosi lobis subapiculatis, petalis crasse unguiculatis subobovatis acutiusculis dorso velutinis, stylo crasso glabro.

Herb. HOSTMANN. n. 373. Ab *H. succosa* DC. foliorum nervatione, stylo glabro et antheris minus crassis distinguitur.

Petioli trigoni, antice sulcati, 2—3 lin. longi. *Folia* 5—6 poll. longa, 2—3 supra medium lata, versus basin attenuata ipsâque obtusa, supra in sicco nigrescentia, subtus lutescentia. *Flores* 3—5 ex axilla vetula fasciculati, *pedicellis* (pedunculus haud manifestus) brevissimis. *Calyx* 2½ lin. longus, in alabastro substriatus. *Petala* sub praefloratione conum apice 5-denticulatum velutinum sistunt. *Stamina* petala superant, *antheris* basi (ipso etiam connectivo) bifidulis. *Stylus* angulatus, *stigma* subhemisphaericum muriculatum.

§§ Antherae basi subintegrae. Stylus tenuior subdeclinatus stamina superans, stigmate minuto.

2. ***Henriettea Patrisiana*** (DC. *l. c.* p. 178), ramulis obtuse tetragonis petiolis nervisque subtus calyceque setulis molliusculis pubeque stellata strigillosis, foliis ovato-ellipticis vel subanguste oblongis subacuminatis quintuplinerviis integerrimis, subtus lutescentibus inter nervos rarissimis setulis, super iis densioribus, obtectis, supra in majoribus nervis tantum setulosis, floribus ex axillis vetulis fasciculatis inter bracteas minutas concavas subsessilibus, calyce subturbinato, stylo tenui, stigmate minuto, antheris basi subintegris.

In sylvis prope *Paramaribo* crescit, incolis »Sergeanten-Klooten» obscœne dicta (ФОКЕ).

Arbor floribus albis, antheris baccisque violaceis, habitu praecedenti similis, floribus valde distincta. Ramorum cortex laevis pallidus; ramuli rufuli. Petioli 2—4 lin. longi, subtrigoni. *Folia* minora fere ovata, majora oblonga, ad formam lanceolatam hic transeuntia, 4—7 poll. longa, 2—2¾ lata, subtus nervis exceptis fere glabra, utrinque sub lente lineolis elevatis notata. *Flores* quam in praecedente minores. *Calycis lobi* lati brevesque

infra obtusiusculum apicem minute apiculati, *tubus* praeter marginem intus glaber, fundo *ovarium* fere liberum, apice truncato quinqueangulare, recondens. *Petala* brevissime unguiculata, fere lanceolata, puberula. *Stylus* lateraliter divergens.

TAB. XII. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. Alabastrum; *b.* idem demtis petalis; *c.* flos; *d.* petala; *e.* stamen; *f.* pars styli; *g.* bacca immatura a vertice; figurae vario gradu auctae.

JUCUNDA, CHAMISS.

Frutices americani, hoc genere consociati, Miconiis perquam similes, antherarum magis robustarum connectivo in obtusum cornu deorsum producto, baccaque in calyce fere libera ab iis vix satis differre videntur. Similis baccae conditio in Miconiis plurimis invenitur (conf. *M. Fockeanae* iconem) antherarumque callus basilaris a cornu brevi non nisi minori magnitudine differt.

1 *Jucunda tomentosa* (BENTH. in HOOK. *Journ. of Bot.* Tom. 2, p. 302), ramulis cylindricis, foliis subtus in nervis, supra in nervi parte infima, thyrso calycibusque tomento stellato rufis, foliis subsessilibus lato-ovalibus acuminatis, basi cuneatis, praeter nervum marginalem tenuem triplinerviis, integerrimis, subtus molliter pubescentibus, supra adultis glabris, thyrso terminali foliis brevioris, calycis ovato-urceolati lobis quinque erectis, antherarum connectivo basi obtuse calcarato glandulisque pedicellatis instructo, ovario fere libero, apice disco coronato, triloculari, stigmate subpenicillato, bacca in calyce libera. *Miconia tomentosa*, DON. DC. *Prodr.* l. c. p. 183. *Melastoma*, RICH. *Act. Societ. Hist. Nat. Paris* 1. p. 109. BONPL. *Melast.* Tab. 16.

In sylvis *Guianae* et *Brasiliae*. In distr. *Para* cl. FOCKE detexit. *Arbor foliis* saepe 1—1½-pedalibus, *floribus* albis.

TAB. XIV. B. — *a.* alabastrum; *b.* flos; *c.* stamen; *d.* gynaeceum; figg. auctae.

M I C O N I A, RUIZ et PAV.

1. *Miconia collina* (DC. l. c. p. 185), ramulis obtuse tetragonis petiolis pedunculis foliis subtus calycibusque juvenilibus pube microscopica simplici adpersis cito glabris, foliis modice petiolatis, elliptico-vel lanceolato-oblongis utrinque attenuatis, coriaceis, quintuplinerviis, margine denticulatim repando vel subintegerrimo revolutis, thyrsis terminalibus paniculatis, panicularum ramis oppositis patentibus, ramulis racemose 3-7-floris, floribus pedicellatis, calycis costati campanulato-urceolati limbo patulo breviter quinque-dentato. *M. attenuata*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 285, *haud* p. 623, *nec* DC., *excl. syn.* *M. macrophylla*, STEUD. in *Flora* 1843. p. 723.

Arbor floribus albis, ad margines sylvarum prope stationem *Victoria* (HOSTM. n°. 375. KAPPL. n°. 1328), ad *Orellanakreek* (FOCKE).

Rami vetustiores cinerascentes laeves teretes, *juniores* pube tenerrima sub lente vix visibili obducti. *Petiole* 3—2 lin. longi. *Folia* basi in petiolum decurrentia, apice in acumen tenue desinentia, plerumque antrorsum complicata, 5-plinervia, nervis 3 mediis paulo supra basin liberis, exterioribus fere e basi egredientibus, anastomosibus parallelis subhorizontalibus circiter 5nis, glabra, in sicco pallida, 4-fere 6 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ —2 lata. *Thyrsus* e paniculis oppositis, dilatato-pyramidalis. Singulae hae paniculae 2—3 poll. longae, *axibus* subtetragonis fugaciter puberulis, *bracteis bracteolisque* ellipticis obtusis vel acuminatis partim persistentibus; *rami* oppositi, inferiores trifidi, superiores simplices, *ramuli* versus apicem 3—7—flori, *pedicellis* calyce vulgo brevioribus, apice 1—2-bracteolatis. *Calycis tubus* subcampanulatus, maturus, fructum includens, urceolatus, 5-costulatus, 1 lin. circiter longus. *Petala* unguiculata, calyce vix longiora, elliptica, obtusa, sub lente pube tenerrima inspersa, in sicco flava, basi fusca (maculas vere rubras, quas DC. citat, *haud* vidi). *Antherae* basi subcalcaratim biauriculatae. *Stigma* juvenile vix dilatatum. *Ovarium* basi adnatum, vertice umbilicato glabrum, limbo calycino alte superatum, 3—4-loculare, *placentis* indivisis, *seminibus* *haud* numerosis.

2. *Miconia attenuata* (DC. l. c. p. 186. MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 623), ramulis obtuse tetragonis, junioribus compressis et inflorescentia pube imperceptibili furfuraceis, foliis breviter petiolatis, lanceolato-oblongis acuminatis, basi cuneatis, praeter nervos binos basilares tenuissimos valide triplinerviis, margine integerrimo vel vix repandulo revolutis, thyrsis terminalibus pedunculatis folio brevioribus: ramis oppositis, floribus pedicellatis vel sessilibus, solitariis vel geminis, alabastris ellipsoideis. *Melastoma parviflora*, AUBL. Tom. 1. p. 433. Tab. 171.

In umbrosis prope *Blaauweberg*, »fruticem elatiorem floribus albis» detexit cl. FOCKE.

Specimina exacte iconem citatam referunt. *Petioli* 2—4 lin. longi. *Folia* in petiolum decurrentia, apice in acumen angustum, haud longum, acutum desinentia, in siccatis supra nigrescentia, subtus olivaceo-viridula, venis transversis distantibus tenuibus instructa, 5—7-poll. longa, $1\frac{1}{2}$ —2 lata. *Inflorescentiae rami* tetragoni, *bractee* acutae. *Flores* nondum adulti, haud examinandi.

3. *Miconia longistyla* (STEUD. in *Flora Ratisb.* 1844. p. 724), ramulis acute tetragonis cum petiolis foliisque subtus pube tenerrima albido-rufescente, intermixtis pilis stellulatis lepidiformibus distinctioribus, obtectis, foliis longiuscule petiolatis, oblongis utrinque attenuatis vel basi obtusis, versus apicem crenato-repandis, supra glaberrimis nitidis, quinquenerviis, thyrso terminali sessili albido-tomentello: ramis oppositis simplicibus vel bifidis, floribus uniserialibus sessilibus vel paucis pedicellatis, calyce campanulato breviter quinquedentato striulato, petalis reflexis ellipticis pilis capitellatis ciliolatis, stylo stamina superante, stigmatate subcapitellato.

Specimen *Herb. HOSTM.* n^o. 1177, a cl. STEUDEL brevius adumbratum, de-
nuo examinavi, ut notas, quibus ab affinibus distinguatur, proponere possem. *Petioli* $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longi et longiores. *Folia* ejusdem jugi disparia, unum semper minus et brevius petiolatum. *Majora* 7—10 poll. longa, 3— $3\frac{1}{4}$ in medio lata. *Inflorescentia* haud densa. *Bractee* parvae.

4. *Miconia Naudiniana* (n. sp.), ramulis subcompressis petiolisque cum foliis subtus thyrsisque pube imperceptibili stellata griseo-ochracea obductis, foliis longiuscule petiolatis, oblongis vel obovatis abrupte obtuse acuminatis, basi acutis vel obtusis, integerrimis, marginibus leviter incurvis, praeter nervulos marginales trinerviis, supra glabris nitidisque, thyrso terminali composito folia superante: ramis oppositis cymose vel subhelicoido-floriferis, floribus sessilibus, calyce campanulato striato quinquedenticulato pilis stellatis tomentello, petalis glabriusculis, antheris rectiusculis basi attenuata bicallous, stylo stamina superante, stigmate infundibuliformi.

Prope *Bergendaal* m. Majo florentem legit cl. FOCKE.

Frutex. Petioli teretiusculi 1—2, folia majora 5—7 poll. longa, 3—4 lata, ejusdem jugi disparia, coriaceo-membranacea, in sicco supra nigrescentia nervisque sulcata, subtus nervis 3 mediis venisque horizontalibus prominentibus notata. *Pubes* sub lente stellata, centro fusca quasi glandulosa, radiis albis. *In-florescentia* $\frac{3}{4}$ -pedis longa, laxa, paniculaeformis; *bracteae* minutae ovae; *rami* primarii oppositi, saepe ad medium, infra florem terminalem, dichotomi, *ramulis* singulis *flores* uniseriales ferentibus. *Calyx* 1 lin. brevior. *Petala* ovalia parva sub lente quasi papillosa, *staminibus* breviora. *Stylus* 2 lin. longus, glaber, tenuis.

Praecedenti specie proxima est, foliis latioribus integerrimis abrupte acuminatis primo obtutu, characteribus propositis tuto distinguenda.

5. *Miconia pubipetala* (n. sp.), ramulis subteretibus petiolis foliisque subtus pube stellata tenerrima fuscule tomentellis, foliis longiuscule petiolatis, ellipticis breviter acuminatis, basi acutis vel obtusis, versus apicem crenulato-erosulis, praeter nervos duos marginales tenues trinerviis, supra glabris, laevibus, thyrsis terminalibus pedunculatis incanis: ramis opposito-fasciculatis hinc spurie verticillatis, floribus verticillato-confertis breviter pedicellatis, calycis tubo subcampanulato-turbinato, limbo subdilatato quinquedentato, petalis erectis dorso tomentello-pubescentibus, stigmate haud capitellato.

Herb. HOSTM. n. 896.

Praecedentibus similis, inflorescentia floribusque distincta. *Folia* 7—8 poll. longa, 3—4 lata, in acumen angustum subobliquum desinentia. *Thyrsi* ex apice ramuli tres. *Flores* iis praecedentium duarum majores. *Calycis* tubus striatus. *Petala* parva concava. *Antherae* falcatae crassiusculae basi bicallosae. *Stylus* erectus, rectus, staminibus vix longior.

Adnotatio. Miconiarum surinamensium mihi cognitarum dispositio:

§ 1. Hirtello-pubescentes vel villosae. Calyx globosus vel obconicus.

1. *M. rufescens*, DC. *l. c.* p. 179. (Melastoma rufescens, AUBL. 1. Tab. 157. (bona)).

2. *M. alata*, DC. *l. c.* p. 184. (Melastoma alata, AUBL. 1. p. 410. Tab. 158.) *Forma latifolia* pilosior est *Miconia pterophora*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 622, quam diversam olim perperam credidi, nunc vero conjugo, numerosiorum exemplorum examine meliora edoctus et persuasus, CANDOLLEUM errasse, quum pilos paginae sup. *M. alatae* simplices dixerit. — HOSTM. *Herb.* n. 1178 *forma* est foliis angustioribus.

3. *M. Fockeana*, MIQ. *Comm. phytogr.* p. 87. Tab. XI. — HOSTM. n. 365. — A *M. spondylantha*, DC. foliorum nervatione ac inflorescentia differt; conf. descriptionem *l. c.* Bacca fere *Jucundae*. — Tab. XIV. C. — *a.* calyx apertus cum ovario; *b.* bacca a vertice; *c.* longitudinaliter aperta; *d.* immatura a latere; *e.* discus a vertice; *f.* sectio; *g.* semina cum funiculis. *Figurae* auctae.

4. *M. erythropila*, STEUD. in *Flor. Ratisb.* 1844. p. 723. — *Herb.* HOSTM. n^o. 1326.

5. *M. iodopila*, STEUD. *ibid.* — *Herb.* HOSTM. n^o. 1327.

§ 2. Parce hirtellae vel glabrae. Calyx urceolato-campanulatus, 10-sulcato-striatus, 5-denticulatus. Ovarium triloculare. Antherae lineares, connectivo basi biauriculato. Stigma exile. Bacca fere sicca. (*Decarhapse*, MIQ. in *Comm. phytogr.* p. 84).

6. *M. clidemioides*, STEUD. *l. c.* p. 724. — (Melastoma pleurocarpum, E. MEY. in *N. Act. Nat. Cur.* Tom. 12. p. 795. Decarh. Fockeana, MIQ. *l. c.* p. 85. Tab. X.) Bracteolis majusculis ad *Diplochitam* tendit. — Nomen

Stuedelianum, meo licet antiquiore, retinui, quum genus a me olim propositum vix servandum videatur.

Forma: folius grossius dentatis, pube molliore, bracteis majoribus saepeque coloratis: *D. floribunda*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 280.

7. *M. collina*, DC. *cf. supra*.

8. *M. attenuata*, DC. *cf. ibid.*

§ 3. *Argyrophyllae*: pubes ramulorum, foliorum subtus, inflorescentiae, imperceptibilis, densa, vulgo albida v. flavescens.

9. *M. argyrophylla*, DC. *l. c. forma* calyce densius tomentello: *M. hypargyrea*, MIQ. in *Linnaea*. Tom. 18. p. 622. *M. holosericea*, STEUD. in *HOSTM. Herb.* n. 371, haud DC.

10. *M. holosericea*, DC. *l. c. varietas* glabrior: *M. heterochroa*, MIQ. *l. c.* p. 621. — Stirps variabilis.

11. *M. longistyla*, STEUD. *cf. supra*.

12. *M. Naudiniana*, *ibid.*

13. *M. pubipetala*, *ibid.*

DIPLOCHITA, DC.

Genus, *Miconiae* et *Jucundae* analogum, nimis artificiale; *species serratifoliae* omnino *Jucundis* similes, sed bacca iis haud libera. *Inflorescentiae* ramificatio flabelliformis, quam cl. BENTHAM magni existimabat, haud omnibus speciebus propria, et in quibusdam *Miconiis* etiam observata est. *Bracteolae* majusculae, unde CANDOLLEUS nomen et characterem praesertim derivabat, generici valoris haud censendae, quum propemodum omnibus *Miconiis bracteolae* duae oppositae parvulae solennes sint et hae in quibusdam, ut in *sect. Decarhappe*, solito majusculae ac coloratae jam inveniantur. Ergo calyce anguste urceolato, ejus fauce vulgo ciliata et limbo altius producto (5—6-dentato) antherisque robustioribus character genericus fere unice continetur.

§ Foliis integerrimis.

1. ***Diplochita Fothergilla*** (DC. *l. c.*). Frutex decempedalis floribus pallide flavis: KAPPL. n^o. 1175.

§§ Foliis crenatis.

2. ***Diplochita leucocephala*** (DC. *l. c.* p. 177), ramulis obtusangulis petiolisque pube furfuraceâ, foliis subtus stellatâ velutinis, foliis longiuscule petiolatis elliptico-oblongis acuminatis, quinque-vel sub-septem-nerviis, crenato-dentatis, supra glabris, thyrso terminali, bracteis calycibusque pube stellata tomentellis, his urceolatis limbo sexdentato, maturis ore constrictis, petalis extus velutinis. — *Decarhaphé Hostmanni*, STEUD. in *Flora* 1844. p. 722. ad n^o. 1099. *Herb.* HOSTM. et KAPPL.

Prope *Osembo* in distr. *Para*, m. Aprili bacciferam legit cl. FOCKE.

Petiole $\frac{1}{2}$ —2-pollicares. *Folia* basi vulgo obtusa, membranacea, subtus rufa et venis transversis horizontalibus densis notata, $5\frac{1}{2}$ — $7\frac{1}{2}$ poll. longa, $2\frac{1}{2}$ —3 lata. *Thyrus* subpyramidalis, *rhachi pedunculisque* inferioribus tetragonocompressis, *ramis* apice dichotomis fasciculato-cymose floriferis. *Bracteolae* ovales. *Alabastra* clavato-urceolata, tubo cylindraceo striato. *Petala* elliptica. *Stylus* glaber, *stigmatate* minuto. *Ovarium* adnatum, vertice libero cavitate peculiari styli basin recipiente pubescens, 5-loculare. *Capsula* adnata, tubi calycini parte superiore limboque, intus *membrana circulari* 12-lobulata vel crenata aucto, coronata, vertice libero styli cicatrice nuda umbilicata, pilosa, subbaccata. *Placentae* medio affixae, basi et apice liberae, in loculos protractae. *Semina* angulato-obovoidea.

3. ***Diplochita serrulata*** (DC. *l. c.*), ramulis compressis petiolis foliisque subtus pube stellata brevi tomentellis, foliis ovatis vel lato-ovalibus acuminatis, basi aliquid attenuata conniventi-cordatis, subcrenato-dentatis, septem-vel novem-nerviis, supra glabris, thyrso terminali elongato cum bracteis calycibusque dense velutino, calyce anguste urceolato, petalis quinque vel sex extus velutinis, filamentis pilosis.

Stirps spectabilis, foliis majoribus pedalis, prope *Bergendaal*, m. Septembris fructifera, a cl. FOCKE detecta est. Ad *var. β* DC. *l. c.* pertinere videtur, a stirpe brasiliensi forsitan distinguenda. — Calycis et fructus structura ut in praecedente specie.

CONOSTEGIA, DON. — DC.

A *Miconia* imprimis differt calycis limbo elongato, tubum aequante, calyptraeformi.

1. *Conostegia acuminata* (STEUD. in *Flor. Ratisb.* 1844. p. 722), ramulis foliisque subtus tenera pube argenteis, foliis lanceolato-oblongis longe angustaque acuminatis, subintegerrimis, in petiolum subdecurrentibus, subquintuplinerviis, thyrso terminali furfuraceo-albicante, pedicellis vulgo ternis, floribus subsessilibus, alabastris cylindrico-conicis, limbi calycini apice apiculis sex notato, sub anthesi valvatim vel irregulariter fisso, antheris basi subhastatis.

HOSTM. *Herb.* n^o. 1265.

Rami glabri. *Petioli* antice sulcati, 2—4 lin. longi. *Folia* semipedalia, 1—2 poll. lata, nervis subtus glabrescentibus venulisque horizontalibus notata, supra praeter nervos juniorum glabra, nitida, in siccis nigricantia. *Inflorescentiae rami* opposito-geminati vel subfasciculati, dichotomi: ramis apice compressis. *Bractae* minutae lanceolatae. *Petala* subglabra 6-nervia. *Antherae* falcato-lineares, rostratae, unipores, connectivo basi incrassato. *Stylus* glaber, sursum dilatatus in *stigma* convexiusculum terminatus. — Apiculi in alabastro calycino obvii, dentium sex rudimenta haud dubie censendi.

Trib. II. OSBECKIAE.

PTEROLEPIS (Sect. III. *Osbeckiae*, DC.) MIQ. *Comm. phytogr.* p. 72.

1. *Pterolepis glomerata* (DC. *l. c.* p. 141. *excl. syn.* RICH.). *Rhexia glomerata*, ROTTB. *descr. pl. quar. Surin. ed. 2.* p. 8. Tab. IV. *excl. Rh. mariana*. — *Pterolepis Hostmanni*, STEUD. *l. c.* p. 720 *ad Herb. HOSTM.* n^o. 1131 (et 878). —? *Chaetogastra* (*Pterolepis*) *callichaeta*, BENTH. *in HOOK. Journ.* Tom. 2. p. 291, quae a *glomerata* diversa statuitur antheris oblongo-linearibus longe rostratis, connectivo brevi basi tumido, setis calycis densioribus ac rubentibus et hirsutis. In nostris vero antherae bicallosae etiam, setae calycis saepe leviter rubrae, hirsuties variabilis.

2. *Pterolepis pusilla* (MIQ. *in Linnaea* Tom. 18. p. 619.) — *Rhexiam trichotomam*, ROTTB. *l. c.* p. 9. Tab. IV, stirpem hucusque plane dubiam, ad praesentem speciem pertinere, nullus dubito. *Stamina* octo, alterna quatuor paulo longiora, *connectivo* deorsum in duo calcara longius producto; quatuor breviora connectivo breviori biauriculato.

Trib. III. RHEXIAE.

COMOLIA, DC.

1. *Comolia surinamensis* (n. sp.), suffruticosa, glabra, ramulis marginato-tetragonis, foliis breviter petiolatis cuneato-ellipticis vel subspathu-

latis, glabris, setuloso-serratis, trinerviis, floribus axillaribus ramulos breves bracteatos terminantibus, calycis purpurei tubo cylindrico-campanulato, limbi lobis linearibus apice quinque-setis, petalis obovatis apice pauci-setulis, antherarum connectivo basi obtuse bicalcarato.

Herb. Hostm. n^o. 508.

Ramuli purpurei, adulti teretes, decumbentes. *Petioli* 1—2 lin., *folia* $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ poll. longa, 2—3 lin. supra medium lata, acutiuscula, nervis 3 purpureis, 2 marginalibus quam tenuissimis. *Bractee* oblongo-lineares, ciliatae, coloratae. *Calycis tubus* octo-striatus, 1 lin. longus.

SPENNERA, MART. — DC.

1. *Spennera ornata* (n. sp.), herbacea, erecta vel basi decumbens, caule ramisque tetragonis anguste marginatis; angulis, petiolorum marginibus, foliis in nervis praesertim subtus subhirtellis, pilis foliorum rubellis, foliis longiuscule petiolatis, ovatis vel ovato-oblongis obtusis vel acutiusculis, basi cordatis, ciliato-serrulatis, quinquenerviis, subtus purpurascens, thyrsis terminali longe pedunculato: ramis trichotomis, floribus omnibus pedicellatis, bracteis lanceolatis, pilis, calycis etiam, glanduliferis, calyce campanulato, staminibus 8, alternis paulo minoribus, capsula biloculari, loculicide decidue bivalvi.

Prope *Bergendaal* m. Majo legit cl. Focke.

Herba pusilla floribus albis, *Sp. tetrapterae* habitum prae se ferens, propter stamina dissimilia fere ad *Noterophilam*, MART. et *Miocarpum*, NAUD. vergens, e genere vero, me iudice, minime expellenda.

Petioli $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{8}$ poll., *folia* $1\frac{1}{2}$ —3 longa, 1— $1\frac{1}{2}$ lata, suprema, inflorescentiae proxima, inferioribus majora; supra pilis parvis brevibus, subtus margineque longioribus multiarticulatis; nervi tres medii infra apicem evanescent. *Petala*

oblonga obtusa glabra. *Antherae* majores oblongae, minores ellipticae, connectivo omnium breviter producto haud incrassato. *Capsula* subglobosa, *columnella*, i. e. dissepimentum placentiferum, fungosa, persistens.

TAB. XIII. Planta florens, nat. magnitudine.

a. pars paginae sup. folii, auct. magn.; *b.* flos; *c.* stamen minus; *d.* majus; *e.* stylus; *f.* capsula incipiente; *g.* eadem, finita dehiscentia; *h.* semina. Figurae vario modo auctae.

2. *Spennera quintuplinervia* (n. sp.), fruticosa, ramulis, petiolis foliisque in nervis marginibusque pilis glanduliferis rigidulis hirtellis, foliis longe petiolatis, cujusve jugi inaequalibus, ovato-oblongis vel oblongis suboblique acuminatis, basi rotundatis aliquando inaequalibus, repandodenticulatis, subquintuplinerviis, thyrsis terminalibus vel axillaribus, dichotomis, calycis tubo cylindrico praesertim versus basin hirtello, dentibus quinque brevibus, petalis linearibus setula terminatis, staminibus decem aequalibus, connectivo aliquid producto vix incrassato.

Herb. Hostm. n^o. 1129.

Spennerae chaetodonti aliquatenus saltem cognata. *Ramuli* fere lignescentes. *Petioles* $\frac{1}{2}$ —1 poll. longi. *Folia* minora 3, majora 5—6 poll. longa, 1—2 lata, membranacea, supra demum glabra. *Inflorescentia* fragilis, pilis capitellatis dense obsita. *Bractae* parvae. *Stylus* antheras aequans. — Specimen haud completum.

Adnotatio. Quum species hujus generis surinamenses olim determinarem, eae mihi nondum innotuerant, quas BENTHAMUS e collectionibus Schomburgkianis proposuerat. Instituta nunc diligenti comparatione persuasum habeo, species a me descriptas inter Benthamianas haud occurrere. — Addo hoc loco enumerationem specierum surinamensium mihi cognitarum:

§ Octandrae.

1. *Sp. aquatica*, MART. *l. c. excl. syn.* AUBL. (Sp. hydrophila, STEUD.

in *Flor. Ratisb.* 1843. p. 719, haud MIQ. quae est *Rhexia aquatica* AUBL. numero partium quinario diversa, a me nondum visa). HOSTM. *Herb.* n. 197 et 1323.

2. *Sp. grandifolia*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 273. (Sp. fragilis, mihi in *Linnaea* Tom. 18. p. 618, haud DC.). Prope *pellucidam* et *longifoliam*, DC.

3. *Sp. viscida*, BENTH. in HOOK. *Journ.* 2. p. 296. (Sp. dysophylla? MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 618, haud BENTH. l. c.) — HOSTM. n. 1016. Proxima *laxae*, DC.

4. *Sp. tetraptera*, MIQ. *Comm. phytogr.* p. 76. Tab. X. fig. E. — Affinis *dysophyllae*, BENTH., sed ni fallor, haud eadem.

5. *Sp. ornata*; cf. supra.

6. *Sp. anomala*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 274. — *Sp. dichotomae*, BENTH. l. c. quam maxime affinis, vix tamen conjungenda.

§ § decandrae.

7. *Sp. quintuplinervia*; cf. supra.



OENOTHEREA E.

JUSSIAEA, LINN.

1. *Jussiaea rigida* (n. sp.), suffruticosa, simpliciuscula, ramulis, foliis calycibusque tenerrima pube inspersis, foliis subsessilibus, infimis lanceolatis, reliquis lineari-lanceolatis, acutis, basi obtusis, rigide coriaceis nitidis, costa crassa, venis arcuato-patulis prope marginem unitis prominulis, pedunculis axillaribus solitariis folio $\frac{1}{2}$ brevioribus apice bibracteolatis, bracteolis lanceolatis, calycis tubo obconico subtetragono lobos lanceolatos circiter aequante, capsula obconica quadri-nervia. Sect. Tetrameræ, brachycarpæ.

In districto *Onoribo* prope *plant. Onverwacht*, m. Sept. defloratam legit cl. FOCKE.

Olim perperam tanquam varietatem *J. nervosae* subscripsi, a qua foliis longioribus angustioribus, pube tenera conspersis nec secus nervos hirtellis, calycibus fere glabris caet. distinguitur.

Caules e radice lignosa plures simplices vel pauci ramosi, cylindrici, *cortice* fibroso secedente, sursum aliquatenus angulati, e folio singulo duobus quasi angulis deorsum decurrentibus. *Folia inferiora* 3 poll. longa, 5 lin. lata, *superiora* $3\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longa, 4 — $1\frac{1}{2}$ lin. lata, rigida, *petiolo* quam brevissimo crasso convexo puberulo sustentata, nervo medio crasso utrinque prominente nervoque utrinque marginali e venis confluentibus instructa, marginibus ipsis subincrassata, subtus ad lentem puberula. *Pedunculi* florentes 3 lin. longi; *bracteolae* puberulae, patulae, $\frac{3}{4}$ lin. aequantes. *Tubus calycinus* subpuberulus, glabrescens, vix 2 lin. longus. *Petala* obovata, $2\frac{1}{2}$ lin. longa. *Filamenta* glabra; *antherae* oblongae utrinque obtusiusculae, curvatae, paulo supra basin dorsifixae. *Capsula* 3—4 lin. longa, obconica, 4-nervia, glabra, apice inter lobos calycinis diutius persistentes arculis 4 hirtis instructa.

2. *Jussiaea affinis* (DC. *Prodr.* Tom. 3. p. 53), primum a cl. PARKER in *Guiana britannica* lecta, in *Surinamo* etiam haud rara videtur; in *Herb. KAPPL.* sub n^o. 760 exstat et eximia specimina a cl. FOCKE nuper accepi. Olim pro *J. pilosae*, H. B. K. *forma* habui, sed foliis multo longioribus angustioribus, utrinque acutis vel acuminatis, pube in foliis parciore et ramulorum florigerorum axillarium foliis ellipticis (quibus singularis huic stirpi habitus imprimatur) manifesto ac constanter differt.

Caules herbacei, fistulosi, angulato-striati, praesertim superne pilis patulis, albidis vel flavidis hirti. *Folia* caulina obverse lanceolata acuta, basi in petiolum longe attenuata, 3—4 poll. longa, $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ supra medium lata, tenuiter membranacea, supra saturate viridia, subtus pallida, utrinque; praesertim in nervo medio, pilis longiusculis rarioribus instructa, ad lentem verruculoso-punctata, venis tenuibus crebris parallelis erecto-patulis pertensa. *Folia* ramulorum brevium axillarium multoties minora, elliptica, saepe obtusata. *Flo-*

res axillares, vel ex axilla folii caulini et tunc vulgo cum ramulo brevi foliato exorti, vel ex axillis foliorum ramulinorum depauperatorum, *racemulos* quasi bracteatos sistentes, *ebracteolati*, sessiles potius quam brevissime pedunculati. *Tubus calycinus* teretiusculus, 3 lin. longus, patentim pilosus, *lobis* alabastri in formam globosam acutatam compositis, lanceolatis, acuminatis, sub-5-nerviis, 2 lin. longis, raris pilis instructis. *Petala* obovata vix calycem superantia. *Stamina* 10, *antheris* ellipsoideis. *Stigma* capitellatum, sulcatum, basi verruculoso-marginatum. *Capsulae* 1—1¼ poll. longae, inaequaliter 5-gonae, striatae, pilosae, basi in brevissimum *pedunculum* contractae, lobis accrescentibus coronatae, apicis haud prominuli arcibus hirtis.

TAB. XV. Ramus florens et fructifer; nat. magn.; — *a.* flos; *b.* petalum; *c.* stamina; *d.* stylus cum stigmate; magn. auct.

3. *Jussiaea aluligera* (n. sp.), fruticosa, glabra, ramulis angulatis striatis subalatis, foliis petiolatis, lanceolatis utrinque attenuatis, membranaceis, glabris praeter marginem sub lente puberulum, floribus axillaribus pedunculatis ebracteolatis, calycis tubo angusto anguste pentaptero lobos lato-lanceolatos acutos herbaceos quinquenervios superante, capsula pentaptero-angulata in pedunculum vulgo brevem attenuata.

In regionibus juxta *flumen Commewyne inf.* m. Octobri legit cl. FOCKE.

Frutescens. *Rami* fuscescentes, cylindrici, glabri, nascentes angulati, vix hic illic perraris pilis inspersi. *Folia* in petiolos breves attenuata, 3—1½ poll. longa, 3½- vulgo 2—3—1½ lin. lata, crassiuscule membranacea, subtus pallida, nervo medio nunc fusculo pertensa venulisque prominulis erecto-patulis parallelis crebris, in senescentibus praesertim perspicuis, glaberrima. *Flores* breviter pedunculati vel in ramulo axillari apice bifoliato. *Tubus calycis* glaber, 3—4 lin. longus, tenuis, *alis* angustis crenulatis; *lobi* 5, 1½ lin. longi, lato-subtriangulati-lanceolati acuti, glabri, 5-nervii. *Petala* iis aliquid longiora obovata. *Stamina* 10, quinque paullo breviora, *antheris* ellipticis. *Stigma* capitellatum, verrucoso-sulcatum. *Capsula* circiter pollicaris, calycis lobis increscentibus coronata, 5-angulata, vix 5-ptera, deorsum attenuata, in brevem vel raro longiusculum pedunculum contracta, apice prominule 5-sulcato-costato glabra.

COMBRETACEAE.

TERMINALIA, LINN.

1. *Terminalia dichotoma*, MEY. *Prim. Esseq.* p. 177.

Stirps *Herb. HOSTM.* n^o. 744 exactissime cum descriptione Meyeriana congruit speciemque sistit suis juris, a *T. latifolia*, cujus varietatem credidit CANDOLLEUS, valde diversam. Cum optima sit MEYERI descriptio, nihil porro addam. Affinis quodammodo videtur *T. macropterae*, MART., donec autem fructus innotuerit, dubia inter congeneres manebit affinitas.

2. *Terminalia*, quae nomine »*Amandelboom*» v. »*Tafelboom*» in hortis Surinamensibus colitur, cujusque specimina, *T. latifoliae* Sw. titulo missa, ad *T. dichotomam*, MEY. referenda esse, olim opinabar, ab utraque diversa est. Indigena etiam arbor videtur; in *Herb. HOSTM.* et KAPPL. sub n^o. 812^a occurrit. Haud improbable mihi videtur, esse *T. paraensem*, MART., cujus brevior licet definitio satis nostram refert. Foliorum forma *T. Catappae* L. similis est.

COMBRETUM, LOEFFL.

Combreti species americanae, in operibus systematicis enumeratae, multis adhuc dubiis vexatae mihi videntur. A variis enim auctoribus species saepe breviter descriptae, ex ipsorum speciminibus tantum cognoscendae, varia deinde ratione inter se et cum aliis confusae sunt, uti *Deveauxianae*, *Hamiltonianae*, *Richardianae*, quae cum *Kunthianis* et *Martianis*, ante ali-

quot annos propositis, conferendae ut vel identitas earum quae diversae creditae sunt, constet vel certiores characteres specierum singularum eruantur.

1. Pulcherrima illa species, quam *Combreti guianensis* nomine a. 1840 in *Annal. of Nat. Hist.* Tom. 11. p. 12 descripseram, a. 1843 a cl. STEUDEL *C. punctati* titulo proposita est (*Flora Ratisb.* 1843. ad. n^o. 825 Hb. HOSTM.). *Rami* superiores haud semper tetragoni subquadrialati offenduntur, quare cl. auctor forsitan specimina sua diversa crediderit. Affines species sunt *C. magnificum*, MART. et *C. aurantiacum*, BENTH.; ab illa nostra distinguitur petalis ellipticis acutis vix barbellatis et colore flavo, ab hac calyce rubro-coccineo. KAPPLERUS fruticem scandentem, FOCKEUS haud scandentem dicit.

2. *Combretum terminaloides*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 762, quam maxime affine est *Combreto Bugi*, CAMB., ut prima fronte idem vel formam ejus crederes. Quantum autem ex icone et fusiore adumbratione, quam in *Flora Brasil. mer.* cl. auctor proposuit, judicari potest, species brasiliensis a nostra differt, foliis paullo minoribus et obtusiusculis, in venarum axillis barbulatis et inflorescentia brevioribus. Quoad flores vix alia differentia est quam pili paulo diutius persistentes in limbo calycino. *Combretum puberum*, RICH., hisce speciebus etiam forsitan nimis affine. — Num omnes ejusdem speciei formae vel lusus locales? — Addo speciminum Surinamensium (HOSTM. n^o. 138, 153) adumbrationem:

Rami obtusanguli, vix tetragoni, glabri, nascentes glabriusculi, subvernicosi. *Folia* opposita, rarissime (in spec. *Herb. KEGEL.* n^o. 259) subalterna, *petiolis* antice anguste sulcatis, 2 lin. longis, antice glabris vel vix puberulis, dorso pubescentibus, sustenta, ovato-elliptica, basi rotundata, apice brevissime subabrupte acute vel obtusiuscule apiculata, chartacea, in sicco saepe antrorsum complicata, marginibus subundulata, costa crassa venisque septenis vel octonis fuscis prominulis arcuato-patentibus, vix reticulatis instructa, praeter basin

costae subtus puberulam utrinque glaberrima, subtus ad lentem fortiorem punctulata, supra costâ profunde canaliculata, $3\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ vix 2 lata. *Spicae* axillares oppositae et terminales paniculatae, ramosae, tomentello-pubescentes, singulae pedunculatae, cum *pedunculo* 4—5-pollicares, ramis oppositis vel alternis, *bracteis* lanceolatis vel linearibus decrescentibus suffultis. *Flores* solitarii vel 2 aut 3 aggregati, *bracteolis* patentihirtellis, calycis tubo vulgo brevioribus, suffulti. *Calycis* *tubus* teretiusculus vel, post anthesin, subtetragonus, sursum angustatus, $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$ lin. longus, junior quasi vernicosus et pubescens, serius fere glaber, *limbus* latus brevi-campulatus, submembranaceus, subplicatus, obsolete 4-dentatus, pallide lutescens, glaber, sub lente punctis lucidis inspersus (an demum lepidotus?), intus villosus, tubum circiter aequans. *Petala* calycis limbo fere breviora, flava, rotundato-subreniformia. *Stamina* 8, 1 — $1\frac{1}{2}$ lin. longa, *filamentis* ejusdem ac petala coloris, *antheris* ovato-ellipticis pallide fuscis. *Stylus* in *stigma* acutiusculum desinens. *Fructus* immaturus tetragonus. *Ovula* vidi duo, oblonga angusta, ex apice cavitatis lateraliter pendula.

3. *Combretum pulchellum*, MART. in *Flora Ratisb.* Tom 24. *Beibl.* 2. p. 62, in Surinamo frequens videtur, floribus pallide flavis fluminum ripas exornans. Folia demum fere glabra et in quibusdam speciminibus fere ovata.

4. *Combretum obtusifolium*, RICH. in *Act. Soc. Hist. Nat. Paris.* (1791) Tom. 1. p. 108. DC. *Prodr.* 3. p. 19.

Frutex scandens, *floribus* albis, ad ripas fluminis *Marrowyne superioris*, m. Aug. (KAPPLER. n^o. 1828).

Rami subangulati et *ramuli* compressuli crusta quasi pulverulenta, vix lepidota, tenui, obducti. *Folia* opposita, *petiolis* teretiusculis, antice anguste sulcatis parcisque pilis inspersis vel glabratis, $1\frac{1}{2}$ - vix 2 lin. longis, sustenta, elliptico-obovata, basi acuta vel acutiuscula, apice rotundata, saepe retusa costaque subexcurrente submucronata, marginibus extenuatis acutata, $2\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longa, 10—7 lin. lata, costa media crassa subtus, praesertim versus basin, cum petioli dorso tenerrime fuscule lepidoto-punctulata, ipsâque summo apice pilosulâ, caeterum utrinque glaberrima, venis patulis tenuibus fere obtectis nec

perspicue reticulatis. *Spicae* pedunculatae, axillares et terminales, paniculatae, densiflorae, cylindrico-conicae, obtusae, 1—1½ poll. longae, cum *bracteis calycibusque* dense rufule hirtellae, *pedunculo* vulgo longiores, basi (in panicula) *bracteis* lineari-lanceolatis canaliculatis hirtellis descrescentibus suffultae, axibus angulatis. *Bracteolae* lineares calycis tubum vix aequantes, vulgo breviores. *Calycis tubus* cylindricus, vix obsolete tetragonus, superne leviter attenuatus, $\frac{1}{3}$ lin. longus, hirtellus, *limbus* circiter aequilongus pateriformi-cupularis, in alabastro obtuse breviterque 4-denticulatus, sub anthesi vix manifesto denticulatus, in sicco fuscus cum striis fuscioribus, extus hirtello-puberulus, intus floccoso-villosulus. *Petala* eo fere breviora, rotundato-subreniformia. *Filamenta* in sicco flavescencia; 1 lin. circiter longa, *antherae* ovato-ellipticae, medio dorso insertae, luteae, dorso fusculae. *Stylus* primo incurvulus, deinde rectus. *Ovulum* unicum vidi ellipsoideo-ovoideum, ex loculi vertice laterali pendulum.

TAB. XVI. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. alabastrum; b. flos; c. idem intus; d. petalum; e. antherae; f. stylus cum stigmatibus; g. ovarium cum ovulo; figurae vario gradu auctae.

Adnotatio. Cum hac specie, quam auctores laudati breviter tantum adumbraverunt, *Combretum pyramidatum*, HAMILT. *Prodr.* comparetur. Synonymum esse, lubenter crederem.

D I O S M E A E.

G A L I P E A, AUBL.

1. *Galipea* (Sciuris) *fissa* (n. sp), subarborea, glabra, foliis modice petiolatis trifoliolatis, foliolis sessilibus membranaceis pellucido-glandulosis, oblongis, eroso-crenulatis, apice acuminato vel saltem attenuato bifido-emarginatis, intermedio basi aequali cuneato, lateralibus brevioribus angulo externo dilatatis, interno resectis; corymbis axillaribus vel subterminalibus

folio brevioribus glabriusculis, floribus pedicellatis, calycis brevis dentibus quinque apice puberulis, corollae tubulosae limbo subbilabiato, staminibus sterilibus quatuor (?), connectivo apice producto guttulifero.

In Surinamo superiore m. Majo florentem detexit cl. FOCKE.

Ramuli teretes, adulti albicantes, juniores in sicco fusculi. *Petioli* 1—1½ pollicares, antice canaliculati; *foliolum terminale* 2½—4½ poll. longum, 1—1½ latum, *lateraha* vulgo aliquid breviora, omnia supra saturate viridia, subtus pallida, tenuiter membranacea (nec unquam coriacea ut in *G. trifoliata*), marginibus planis irregulariter crenulata, venis octonis vel denis subpatulis tenuibus instructa, apice in duos quasi lobulos divergentes fissa. *Pedunculi* 1½—2 poll. longi, apice di- vel trichotomi, *bracteis* deciduis. *Calyx* obconicus, 1 lin. brevior, *dentibus* brevibus acutiusculis. *Corollae* incanae, glandulis punctatae, *tubus* semipollicaris, intus etiam puberulus, *limbus* patulus bilabiato-quinquefidus.

BURSERACEAE.

ICICA, AUBL.

1. *Icica surinamensis* (n. sp.), ramulis striato-subangulatis glabris fusculis, nascentibus cum petiolis pilis rarissimis fugacibus inspersis, foliolis trijugis cum impari, rhachi ad insertionem petiolorum subnodosa, foliolis membranaceis glabris sparse pellucido-punctulatis, oblongis, in acumen lineare obtusum modicum desinentibus, basi inaequilateraliter acutis, racemis axillaribus et supraaxillaribus brevibus aggregatis puberulis, alabastris ovatis, calyce glabriusculo repando-quadri-denticulato, petalis quatuor ellipticis acutis, secus margines intusque puberulis, reflexis, staminibus octo, filamentis brevibus, antheris linearibus, (florum mascul.) ovario

brevi-stipitato globoso styloque brevi glabris, stigmatibus quatuor capitellatis connatis, fructu (immature) verruculoso.

Fruticem juxta sylvam prope stationem *Oranjewoud* cl. FOCKE detexit. In HOSTM. *Herb. sub* n^o. 1212 adest.

Proxima est *I. heptaphyllae*, ■ qua foliolis acuminatis, basi acutis, venis distinctioribus et floribus glabriusculis differt. A sequente diversam esse, comparatione speciminum evidentius confirmatur quam quidem characteribus propositis, ni fallor tamen ad distinguendum sufficientibus. *Petiolus communis* antice bisulcatus, 4—5 poll. aequans. *Petioluli laterales* antice canaliculati, 1½—2 lin., *terminalis* longior. *Foliola* 2—3 poll. longa, aliquando 5 poll. aequantia, pollice latiora, raro duos pollices lata, venis 10^{nis}—12^{nis} subtus prominulis, forma iis *I. altissimae* simillima, sed ejus ex AUBLETHII descriptione multo majora, pedalia. *Inflorescentiae* pollice breviores, dense aggregatae ut in *I. heptaphylla*, racemosae, puberulae, *bracteis* parvulis. *Alabastra* lineam longa. *Calyx* cupuliformis. *Petala* dorso fere glabra, marginibus et intus, ubi carinulata, puberula.

Adnotatio: Hujus forma videtur n^o. 1292 *Herb. Hostm.*, ut videtur unice foliis paulo minoribus diversa.

In *I. heptaphylla*, AUBL., quae in *Herb. Hostm. sub* n^o. 332 obvenit, foliola basi inaequali lato-rotundata, inflorescentia pilis longioribus fortioribusque sed rarioribus instructa et petala dorso versus apicem teneris pilis pubescentia.

2. *Icica Hostmanni* (n. sp.), ramulis petiolis nervoque medio subtus parce pilosis, foliis impari-opposito-pinnatis, foliolis trijugis petiolulatis elliptico-oblongis in acumen lineare modicum obtusum desinentibus, basi acutis plerumque subobliquis, patule venosis, racemis brevibus axillaribus et paullo supraaxillaribus saepe geminis puberulis paucifloris, alabastris subglobosis, calyce quadri-denticulato puberulo, petalis quatuor apice introrsum denticulo terminatis, marginibus pilosulis, dorso glabriusculis,

Herb. Hostm. n^o. 1247.

Ramuli adulti cylindracei, striulati, glabri, nascentes angulati et puberuli. *Petiolus communis* 4—3 poll. longus, antice sulcatus. *Petioluli* 2 lin. longi, folioli terminalis vero 6 lin. aequans. *Foliola* submembranacea, haud pellucido-punctulata, venis circiter dens subtus prominulis, 2—3 poll. longa, 7—8 lin. lata. *Racemi* pollice breviores, ramis suboppositis, inferioribus unifloris. *Alabastra* subglobosa, semilinea paullo longiora. *Calyx* semigloboso-planiusculus undulatus. *Petala* elliptica, praeffloratione valvata. *Antherae* lineares basi emarginatae.

S A P I N D A C E A E.

C U P A N I A, PLUM.

1. *Cupania Aubletii* (Miq.), fruticosa polygamo-dioica, foliis paripinnatis, foliolis 2—3-jugis oppositis vel suboppositis, brevissime petiolulatis, oblongis obtuse apiculatis emarginatisque, coriaceo-membranaceis pellucido-punctatis planis, costa venisque (septenis usque duodenis) petiolulis rha-chique parce tenere appresse pilosis glabrescentibus, racemis axillaribus, lateralibus terminalibusque, inferne ramosis, spicatis, tenuiter rufulis, angulatis, floribus hermaphroditis vel masculis, breviter pedicellatis, sub-fasciculatis, calycis quinque-vel quadri-partiti lobis ovatis acutis parvis appresse pilosis, petalis ellipticis parvis, dorso glabriusculis, antice squama aequilonga divaricate biloba densissime undique tomentoso-hirta auctis, ovario trigono, filamentis dense pilosis, capsulis vulgo di-coccis.

In regionum interiorum sylvaticis, v. c. prope *Tampati fluvium* fruticis elatioris specimina collegit cl. FOCKE, masc. et hermaphr. ex diversis stirpibus carpta. In *Herb. KAPPL.* sub n^o. 600^a hermaphrod. exstat. Praeter sexus differentiam mire ludit habitus variatione, foliis nunc amplis nunc contractioribus, rel. Esse autem ipsum *Sapindum arborescentem* Au-

BLETHII (Tom. 1. p. 357. Tab. 139) speciminum fructiferorum cum ejus verbis et icone comparatio me edocuit. Quum enim A. non nisi fructiferum observaverit, ad speciem imperfecte ideo notam, florifera mea specimina referre alioquin addubitassem, nec ego, qui difficilem fallacemque stirpem ex completissima speciminum serie perscrutatus sum, miror, cl. *Prim. Essequib.* auctorem florentia specimna tanquam *Thouiniam polygamam*, p. 156, proposuisse.

Specimina mea autem ab AUBLETII icone leviter tantum recedunt rhachi foliorum minus crassa, graciliore, imperspicue licet, pilosula, ab AUBLETIO expressis verbis crassa atque glabra dicta; quum autem proveciore aetate glabrescat, ipsaque crassitie et longitudine variabilis sit, de leviori hac differentia haud ultro sollicitus fui. AUBLETIUS autem, capsulas disertis verbis dehiscentes statuens et icone exhibens, characterem, jam statim Sapindo contrarium, annotabat, quem omnes auctores praetervidisse videntur. Caeterum haec species habitu, foliatura caet. revera Sapidos quosdam, ut v. c. *S. juglandifolium*, CAMB. in *Flor. Brasil. mer.* quodammodo refert.

Frutex arborescens, innovationibus appresse pilosis, ramis cylindraceis griseis vel albidis, lenticellosis. Folia alterna, petiolo communi a medio foliato, rigido, recto, basi cylindrico, sursum praesertim inter foliola canaliculato vel in aliis planiusculo, inter suprema foliola in mucronem appresse pilosum excurrente, toto appresse pilosulo glabrescente, pennam corvinam circiter crasso, 3—3½ poll. in plerisque, praesertim masc., longo, in aliis multoties longiore, octopollicari. Foliola opposita vel subalterna, in grandioribus praesertim, mox omnia bijuga, mox vero trijuga, elliptico-oblonga, ellipticave, aequilatera, marginibus plana, 2—2½—3 pollices longa, 1 circiter lata, in aliis 7—8½ poll. aequantia, 2½—2¾ lata, crassiuscule rigidule membranacea, crebro tenuiterque pellucido-punctata, basi acuta vel obtusiuscula, apice in apiculum latum emarginatum vel raro integrum terminata vel obtusata, supra nitida, in sicco fusca, glabra, subtus costa prominente appresse pilosula venisque patulis ad marginem arcuato-junctis tenuiterque reticulatis rubellis, notata, petiolulis antice canaliculatis basi praesertim piloso-puberis, incrassatis, ¾—1½ lin. longis, sustenta. Paniculae axillares, laterales et termi-

nales etiam, basi ramosae, spithameae aut tantum digitum longae, superne simplices, *axi ramisque* angulatis pube densa appressa rufulis, *bracteis* parvis triangularibus pubescenti-hirtellis. In *herm.* stirpe *paniculae* laxiores, magis remotiflorae, glabriores; *flores* breviter pedicellati, solitarii vel pauci aggregati, patuli. *Calyx* subsemiglobosus brevis 5-partitus, lobis rigidulis triangularibus, acutiusculis, hirtellis, persistentibus, sub praefloratione partes omnes dense subimbricatas basi includentibus sed non obtegentibus. *Petala* maris sed *squamae* minus dense hirtae. *Stamina* 10, biseriata, *filamentis* serius tantum elongatis, hirtis; *antherae* didymae fusculae pilosulae, quaedam ut videtur semper sessiles? — *Filamenta* annulo ovarium cingenti inserta. *Ovarium* obovoideo-trigonum, albo-villosulum, *stylo* teretiusculo villosulo, *stigmatibus* 3 brevibus. Anthesi peracta, ovarium excrescit, basi in stipitem contrahitur, sursum triquetrum evadit, stylo diutius persistente rostratum est, sensim glabrescit, in *fructum* abit vulgo dicoccum, uno loculo abortiente, vel monococcum, alterius rudimento rotundato stipatum. *Coccae* obovoideae obliquae, obtusae, latere exteriori complanatae quasi sutura marginatae nec tamen alatae, caeterum lenticulari-tumidae, absque stipite semipollicares, in sicco coriaceae, rubro-atrae, intus fuscae nitidaeque, maturae secedentes et extrorsum et introrsum dehiscentes. *Semen* unum ovoideo-globosum fuscum, nondum maturum. *Testa* crustacea dura, extus membrana tenui (arillo?) involuta. In *speciminibus masculis inflorescentiae* densiores, longiores, ad ramorum apices confertae, densius rufulae; *flores* brevissime pedicellati, 3 vel plures aggregati, in densiorem quasi spicam collecti, tetra-vel pentameri. *Calyx* vulgo 4-partitus. *Petala* elliptica, calyce vix longiora, elliptica, in sicco extus fusca glabriuscula, intus squama divaricato-biloba utrinque densissime hirta, ipso petalo fere paullo longiore, aucta. *Stamina* 8-vel 10, *filamentis* subaequilongis, e denso tomento alte exsertis, basi tumidulis, dense hirtellis, sursum glabribus, *antheris* didymis subglobosis carnis tenuiter pilosulis vel glabriusculis.

TAB. XVII. Specimen masc. florens; A fol. grande, nat. magn. — *a.* pars rhacheos; *b.* flos, ■ latere; *c.* a vertice explanatus; *d.* calyx cum germinis rudimento; *e.* petalum cum squamis, a dorso et ventre; *f.* stamen; figurae omnes auct. magnitudine.

TAB. XVIII. Specimen hermaphr. immaturis et fere maturis fructibus onustum, nat. magn. — *a.* flos; *b.* petalum; *c.* stamen; *d.* ovarium cum calyce; *e.* fructus immaturus; figg. auct. magn.

Adnotatio. Thouiniam polygamam, MEY. *Esseq.* ad hanc stirpem referendam esse, si ponamus auctorem raros illos in costa folii pilos praetervidisse et squamas petalorum bilobas pro ipsis petalis habuisse, non ultro dubito. En ejus verba: »petiolus communis firmus, lineatus, puberulus; partiales vix lineam longi, crassi, rugulosi, glabri. Racemi axillares, inferne ramosi; rami patententes, simplices, ut rhachis obtuse angulati, tomento tenui rufescenti tecti. Fl. masc. et fem. in diversis plantis; in pedicellis brevissimis, a 3—6-glomerati, minuti, albi. Fl. masc. calyx inaequaliter 4-fidus, laciniis obtusis [vix]. Petala 4 squamaeformia, obovata, nunc emarginata, nunc biloba, lobis integris emarginatisve, lanata. Stamina 8, calyci inserta, petalis fere duplo longiora. Filamenta subulata, lanata. Antherae subrotundae, didymae, rubescentes. Germinis rudimentum. Fl. fem. calyx, corolla et stamina maris. Ovarium cuneiforme triquetrum, basi annulo cinctum. Stylus subulatus persistens. Stigma trifidum. Nuces tres stylo persistenti affixae, apterae.»

Aliae etiam auctorum Thouiniae species pinnatifoliae americanae cum hac specie ultro comparandae videntur.

In Herbariis Surinam. Cupaniarum trium aliquot specimina florentia inveni, quae praesertim speciebus Martianis brasiliensibus affines esse videntur. Una quae »*species arborescens floribus albis*», ad margines sylvarum prope stat. *Victoria*, m. Dec. lecta (KAPPL. n^o. 1377), omnino *Cupania subrepanda*, MART. in *Flor. Ratisb.* Tom. 21. *Beibl.* 2. p. 70, e *Prov. Rio Negro*, esse videtur; formam glabriorem sistit, foliis scil. licet forma omnino congruentibus, supra in costa et venis subtusque etiam, sed vix, raris pilis instructis, axillis venarum subtus tumidulis vel fere perforatis.

2. *Cupania porosa* (n. sp.), ramulis, petiolo communi, petiolulisque sparsis, costa subtus rarissimis, pilis appresse puberulis, glabrescentibus, foliis pari-pinnatis trijugis, foliolis suboppositis vel fere alternis brevissime petiolulatis, oblonge subobverse ellipticis brevissime obtuse subapiculatis emarginatis, basi acutis, superne repando-subserratis, crassiuscule membranaceis epunctatis, venis octonis erecto-patulis, axillis uni-vel bi-foratis, inflorescentiae paniculatae axi appresse densiuscule pubescente, floribus rufulis, petalis spathulatis calycem aequantibus, intus dense hirtis.

Herb. HOSTM. n^o. 1310. — *C. subrepandae* et sequenti affinis; tres scil. hae species sibi cognatae, omnibus partibus analogae, sed quantum ex Herbarii specimenibus judicare licet, haud conjungendae. — *Petiolus communis* 4—4½-fere 5-pollicaris, striulatus, inferne teretiusculus, superne antice canaliculatus vel planiusculus. *Petioluli* 1 lin., antice profunde canaliculati. *Foliola* superne increnentia, magnitudine in diversis foliis admodum diversa, sic v. c. 2 poll., in aliis 3—5 poll. longa, 1¾—2 poll. lata, costa vel rubescente vel pallida, subtus inter venas reticulata, illarum axillis perspicue 1—2 foraminulis, communi cavulo impositis, instructis. *Paniculae* axillares ramosae compositae, axi ramisque angulatis appresse pilosis. *Flores* fasciculati pedicellis dense rufo-hirtellis. *Calycis* 5-lobi lobis ellipticis membranaceis puberulis et ciliolatis. *Petala* spathulata, calyce vix aliquid longiora, apice cucullata, intus dense hirta, extus glabriuscula. *Stamina* 10? quaedam semper multo breviora; *filamenta* basi pilosa, *antherae* ellipticae. *Ovarii* rudimentum.

3. *Cupania guianensis* (n. sp.), ramulis nascentibus, petiolo communi petiolulisque pilis tenerrimis inspersis, foliis paripinnatis 3—4-jugis, foliolis brevissime petiolulatis suboppositis vel alternis, obovato-oblongis brevissime obtuse apiculatis, sursum grosse obtuse serrato-dentatis, deorsum integerrimis, basi acutis, utrinque glabris, subcoriaceis, epunctatis, venis densis vel novenis patulis reticulatis, axillis uniporis, paniculis axillaribus et terminalibus ramosis appresse pilosis, axi ramisque angulatis, floribus fasciculatis, pedicellis calycibusque hirtellis, calycis quinque-lobi lobis ellipticis, petalis spathulatis concavo-cucullatis calycem circiter aequantibus, intus dense hirtis, staminibus 10? inaequalibus.

HOSTM. Herb. n. 295. — *C. castaneaefolia*, MART. quodammodo accedit. *Petiolus communis* 5-pollicaris, basi tumidus. *Petioluli* ½ lin. *Foliola* increnentia, 2—4½ poll. longa, in sicco pallida. *Inflorescentiae* pedales.

Adnotatio. Quum harum et sequentis speciei fructus incogniti sint, de genere dubia adhuc moveri possunt. Praeterea *Sapindi* et *Cupaniae* discrimen ex floribus vix certum, imo si florum structuram respiciamus, et squamarum, petalis adhaerentium, variam formam perpendamus, ipsa haec genera forsitan adhuc reformare oporteret.

4. *Cupania laevigata* (n. sp.), arborea, foliis pari-pinnatis, rhachi brevissime exserta antice caniculata rigida cum petiolulis parce appresse pubera, foliolis bijugis, oppositis brevissime petiolulatis, elliptico-oblongis obtuse apiculatis vel obtusis, emarginatis, rigido-coriaceis, marginibus incurvis, epunctatis, utrinque rarissimis fugacibusque pilis inspersis, supra splendidibus laevissimis, costa subtus prominente venisque tenuibus vulgo senis, raro octonis, erecto-patulis notatis vix reticulatis, paniculis spithameis axillaribus rufulis: ramis brevissimis, inferioribus ramulosis, superioribus simpliciter cymosule florentibus 5—7-floris, calycis breviter quinque lobi hirtelli lobis obtusis, petalis obovatis truncatis concavis dorso glabris, intus cum staminibus pilosis.

Arbor 30-pedalis, floribus luteis, ad aquas prope urbem *Paramaribo* (KAPPL. n. 744; HOSTM. n. 1037; KEGEL n. 268).

Species distincta foliolorum rigiditate et inflorescentia, quae thyrsus paniculaeformis fere dicenda. Specimen suppetens paullo ante plenam anthesin collectum. *Foliola* $2\frac{1}{2}$ —4 poll. longa, 1 — $1\frac{1}{2}$ lata, siccata fuscescentia. *Petioluli* 1 lin. longi, basi tumidi. *Inflorescentiae* 4—7-pollicares, ramis patentibus semipollicaribus, oppositis et alternis, inferioribus ramulosis, reliquis cymulas parvas referentibus. *Flores* hermaphroditi? cum *pedicellis* hirtellis articulati, articulatione densius fuscule hirtella. *Calyx* lato-semiglobosus, parvus, ad $\frac{1}{2}$ long. 5-lobus, hirtellus. *Petala* parva concava incurvula truncata vel apice concavata, intus pilosa. *Stamina* nondum exserta, sed ut videtur iis praeecedentis similia, *filamentis* pilosis. *Ovarii* rudimentum hirtellum.

T A L I S I A, AUBL.

Arborem ramis verticillatis, in sylvis umbrosis prope plantat. *Beekhuizen* a KEGEL detectam (*Herb.* n. 680), ad *Talisiam glabram*, DC. *Prodr.* Tom. I. p. 609 referendam esse, suadet phrasis licet brevior. *Folia* pinnata, mihi tantum 5-juga visa. *Foliola* grandia, oblongo-lanceolata acuminata, 1 — $\frac{1}{2}$ pedalia, basi inaequilaterali acuta, marginibus leviter incurva, membranaceo-coriacea epunctata, utrinque glabra, costa utrinque, praesertim subtus pro-

minente, venis costalibus circiter 16^{nis} patulis, ante marginem arcuato-conjunctis, interpositisque minoribus per anastomoses reticulatas confluentibus. *Petioluli* crassi semicylindrici, antice profunde canaliculati, dorso convexo rimulosi. *Inflorescentia* thyrsoido-paniculata, *axi ramisque* angulatis scabriuscule pilosulis, his alternis et suboppositis, racemosis, ramulis cymose floriferis, floribus fasciculatis. *Bractee* lanceolatae hirtellae. *Pedicelli* hirti. *Alabastra* obovoidea, grano piperis majora. *Calycis* coriacei quinquelobi lobi obtusi sericeo-hirsutuli, duo exteriores, reliqui imbricati. *Petala* glabriuscula, extus et marginibus in alabastro pilosula.

Foliolis multo majoribus glaberrimisque a *T. guianensi*, AUBL., cujus habitum omni ratione refert, facile distingui potest.

M E L I A C E A E.

MOSCHOXYLUM, AD. JUSS.

1. *Moschoxylum surinamense* (n. sp.), glabrum, foliis alternis longiuscule petiolatis, foliolis bijugis cum impari, suboppositis, breviter petiolulatis, lanceolato-oblongis breviter obtusiuscule acuminatis, terminali majore obovato-oblongo, omnibus basi subcuneato-acutis, glabris, membranaceis, venis 10^{nis}—12^{nis} patulis, paniculis parumper supraaxillaribus longe pedunculatis laxis subracemosis remotifloris glabris, corolla quadrida glabra.

Cl. HOSTMANN legit (n. 662). Specimen parum completum.

Proximum videtur *M. Swartzii*, cui vero petioli canescentes tribuuntur. — *Ramuli, petioli et pedunculi* glabri laeves, in sicco nitidi fusci. *Petiolus communis* vulgo tripollicaris, parte $\frac{1}{2}$ inferiore nuda, semiteres, antice planus, marginibus acutis. *Foliola* plerumque subopposita, vel subalterna, superiora majora, terminale maximum, omnia marginibus leviter incurva, membranacea, venis fuscis, in acumen obtusiusculum subabrupte desinentia, 3—6 poll. longa, $1\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ lata. *Paniculae* parum supra petioli insertionem pro-

tusae, solitariae, 4—5 poll. longae, parte dimidia inf. nuda, ramulis semipollicaribus racemose florentibus, supremis unifloris. *Pedicelli* brevissimi cum pedunculis vel eorum ramulis articulati. *Calyx* explanato-cupularis, 4-denticulatus, dentibus brevibus acutiusculis. *Corolla* $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ lin. longa, praefloratione ovoidea, florens suburceolata, $\frac{1}{2}$ longit. 4-fida, glabra. *Tubus stamineus* 8-denticulatus. *Antherae* 8 ellipticae. *Ovarium* hirsutulum. *Stigma* capitellatum.

2. *Moschoxylum propinquum* (n. sp.), ramulis, petiolis, nervis praesertim subtus et inflorescentia appresse pubescentibus, foliis alterne et incremmenti-pinnatis, foliolis 7—8, breviter petiolulatis, inferioribus ellipticis, superioribus fere lanceolatis, in acumen sublineare obtusiusculum desinentibus, marginibus revolutis, patenti-multiveniis, supra praeter nervum medium fere glabris, subtus in eo venisque setulosis venulisque punctulatis, paniculis axillaribus solitariis vel raro geminis: una paulo supra-axillari, ramis oppositis vel alternis, inferioribus vulgo quinquefloris, superioribus trifloris, calyce dilatato cupulari quinquedenticulato cum corolla quinquefida appresse pubescente, tubo stamineo glabro fere irregulariter decem-denticulato, antheris quinque ellipticis.

Cl. HOSTMANN detexit (n. 1204 et 1204^a).

Propinquum est *M. affini*, Juss. (*Trichiliae*, Juss. in ST. HIL. *Flora Brasmer.* Tom. 2. p. 78), sed ex accurata ejusdem descriptione distinctum, v. c. foliolis aequilateris, tubo stamineo intus et extus glabro, rel.

Petiolus communis $3\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{2}$ poll. longus, tenuis, semiteres, antice haud profunde canaliculatus, cum *petiolulis* nervoque medio subtus pilis setuliformibus appressis canulus. *Foliola* subchartaceo-membranacea, subtus pallida, venis patulis, colore nunc fuscis, 12^{nis}—15^{nis} pluribusve notata, inferiora elliptica $1\frac{1}{4}$ poll. longa, media 3— $3\frac{1}{4}$, summa 4 poll. aequantia, $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{4}$ poll. lata. *Inflorescentiae axis ramique* compresso-angulati, setuloso-pubescentes, ipsae 3—4 poll. longae, ab $\frac{1}{3}$ long. vel fere inde a basi florentes, inferiores ramosae, superiores simplices, *bracteis* parvis ovatis. *Pedicelli* teretiusculi. *Calyx* cupularis undulatus. *Corolla* praefloratione ovoideo-pentagona, pilis haud densis ap-

pressis instructa, florens ad $\frac{1}{2}$ alt. fissa, lobis ellipticis crassis patulis, 1 lin. paullo brevior. *Tubus stamineus* in sicco rubescens. *Ovarium* ovatum. *Stigma* capitellatum.

C A R A P A , AUBL.

Genus naturale, a *Guarea* satis distinctum, minime in singula genera dividi posse videtur, nisi characteribus artificialibus uti velis, ad sectiones constituendas saltem sufficientibus. Improbanda in universum videtur scriptorum botanicorum consuetudo, qua absque sollicito totius ordinis studio, genera reformant, et praesertim sectionibus ab aliis jam antea indicatis, statim genericum valorem tribuunt. Sic nuper *doct. M. J. ROEMER in Synops. Monogr. Carapam* in tria genera divisit, quorum unum, floribus pentameris insignitum, *Touloucana*, sequentem stirpem recipere debuissit.

§ Fl. pentameris.

1. *Carapa surinamensis* (n. sp.), arborea, glabra, petiolis rhachique (vulgo subrubellis) cylindraceis, hac superne antice subbisulca, foliolis suboppositis vel alternis, 8- vulgo 10-12-jugis, petiolulatis, lanceolato-oblongis obtusis mucronatis, basi oblique rotundatis, chartaceo-coriaceis, subtus costâ acuta venisque horizontalibus circiter quindenis tenuibus, thyrsis compositis racemosis in amplam paniculam axillarem collectis, calycis quinquelobi lobis parvis rotundatis inaequalibus ciliolatis, petalis ovalibus acutis concavis, glabris, androphoro decem-crenato, lobis truncatis erosulis, stigmatе plano-peltato.

Arbor, in sylvis surinamensibus passim obvia, a cl. FOCKE m. Decembri florens collecta, a *Carapa guianensi* diversissima, licet similem probabiliter arborem sylvestrem constituat.

Petiolus communis cum rhachi $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ -pedalis, crassus, rigidus, laevis, glaber, in sicco fusco-rubescens, paripinnatus, parte $\frac{1}{4}$ inferiore nudus. *Foliola*

alterna, saepius per paria subapproximata, *petiolulis* semiteretibus sulcatis transverse rimosis crassis, 3—2, raro 1 lin. longis, sustenta, subtus in sicco castaneo-rubiginosa, utrinque nitida glaberrima, 4—6 poll. longa, 2—1½ poll. lata, marginibus fere parallelis, apicis mucrone nigricante laevigato serius deciduo, e laminae apice complicato-contracto coarctato potius quam costâ formato, a lateribus compresso, anticeque sulcato. *Paniculae rami* alterni, pedales v. semipedales, basi *bractea* lanceolata complicata glabra in sicco nigricante suffulti; *thyrsi* quasi *racemiformes*, *axibus* subcompressis subrimose scabridis, ad lentem quasi lepidotis, *ramulis* brevibus dissitis cymose-floriferis quasi fasciculatis. *Flores* pedicellati, *pedicelli* basi bracteolis saepe geminis parvis ciliolatis instructi. *Alabastra* obovato-globosa. *Calycis* 5-lobi lobi inaequales parvi coriacei, praeter margines glaberrimi. *Petala* ovalia concava, imbricata, acuta, dorso ante anthesin pilis tenerrimis fugacibus inspersa, demum reflexa, 1 lin. paulo longiora. *Androphorum* petalis paullo brevius, lato-cylindraceum striatum glabrum, ore 10-lobulatum. *Antherae* ellipticae biloculares, parti ejus sup. intus insertae, filamentis totis adnatis. *Discus* planiusculo-concavatus 10-crenatus. *Ovarium* eo multo angustius, 5-sulcatum, cum stylo glabrum. *Stigma* ex androphoro brevi-exsertum, ejusdem fere diametri, planum, margine ad lentem 10-repando-crenulatum, superne stigmatosum, et secus marginem punctatum.

TAB. XIX. Inflorescentia cum folio summo depauperato, magn. paullo diminuta. Foliola duo separata nat. magn. — *a.* flos sub anthesi; *b.* androeceum apertum cum gynoeceo; *c.* anthera a ventre et dorso; *d.* gynoeceum cum disco; figurae auctae magn.



MALPIGHIACEAE.

BYRSONIMA, L. C. RICH.

1. *Byrsonima obversa* (n. sp.), ramulis petiolisque juvenilibus appresse puberulis, foliis modice petiolatis elliptico-obovatis obovatisque, apice lato-rotundatis, raro obtuso-subapiculatis, basi cuneata vel acuta in

petiolum decurrentibus, utrinque glabris, supra nitidis, subtus pallidis, venulisque circiter dens erecto-patulis tenuibus, racemo terminali pedunculato subsericanti-hirtello, bracteis bracteolisque ovatis obtusis hirtis, floribus modice pedicellatis, calyce decem-glanduloso hirtello, petalis rotundatis basi subsagittato-cordatis, antheris appresse hirtellis apice bicornutis.

HOSTM. et KAPPL. *Herb.* n. 665. *Byrs. cerantherae*, BENTH., antherarum structura, caeterum *B. inundatae*, *bracteolari* et *Schomburgkianae* ejusdem auctoris (l. infra c.) propinqua. — *Ramuli* adulti glaberrimi. *Petioli* mox glabri, semiteretes, antice leviter concavati, nascentes praesertim dorso appresse pilosuli, pilis quibusdam etiam supra nervum medium continuatis, $1\frac{1}{2}$ lin. longi. *Stipulae* axillares ovato-rotundatae, cum oppositis per marginulum junctae. *Folia* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ — raro $3\frac{3}{4}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — fere 2 supra medium lata, tenuiter coriacea, marginibus leviter incurva, glaberrima, vel vix rarissimis hic illic pilis inspersa. *Pedunculi* $1\frac{1}{2}$ -pollicares, parce puberuli, *racemi* 2— $2\frac{1}{2}$ poll. aequantes. *Calyx* 1 lin. longus, pube brevi, glandulis junioribus etiam puberulis. *Petala* longe unguiculata, glabra, subintegerrima, concava, $1\frac{1}{2}$ lin. *Filamenta* calycem vix excedentia, glabra; *antherae* lineares, apice bicornutae, loculis sejunctis acutis, connectivum in rostrum obtusiusculum productum superantibus. *Ovarium* hirtum. *Stylus* glaber.

BUNCHOSIA, L. C. RICH.

1. *Bunchosia hypoleuca* (n. sp.), ramis verrucosis, ramulis petiolis foliisque subtus sericanti-pubescentibus, his junioribus supra pilis rarioribus inspersis adultisque glabris, oppositis modice petiolatis, lato-subovato-ellipticis acute acuminatis, basi rotundatis, marginibus subcrispulis, petiolo apice biglanduloso, racemis axillaribus terminalibusque pubescentibus, pedicellis (pedunculis partialibus) oppositis et alternis, bracteola una vulgo glandulosa, calyce ciliolato novem-glanduloso, filamentis basi dilatatis imâque cohaerentibus, ovario styloque piloso-pubescentibus, stigmatibus semiorbiculatis peltatis.

Species a cl. FOCKE in Surinamo nuper lecta; foliis *B. Gaudichaudianae*, JUSS. (*Malp.* p. 79) et *B. molli*, BENTH. (HOOK. *Lond. Journ. of Bot.* Tom. 7. p. 127), accedens, arctiori vinculo *B. nitidae* juncta videtur. *Petioli* 2—4 lin. longi, semiteretes, antice sulcati, denique glaberrimi. *Stipulae* minutae axillares, lanceolatae, villosae, conjunctae. *Folia* $4\frac{1}{2}$ — $5\frac{1}{4}$ poll. longa, $2\frac{1}{2}$ —3 lata, submembranaceo-herbacea, supra saturate viridia, juniora pilis tenerrimis subaurato- vel argenteo-renitentibus inspersa, adulta glaberrima, subtus pallida, densioribus pilis pubescentia, sensim glabriora, marginibus recurva, costis distinctioribus quinis, senis vel septenis erecto-patulis, glandulis rite efformatis nullis, petiolo tantum utrinque sub apice glandulam suborbicularem planam ferente. *Inflorescentia* cum *pedunculo* 4 poll. aequans, axi angulato, bracteis villosulis ovato-lanceolatis parvis. *Pedunculi partiales* cum *pedicello* circiter 3 lin. longi, illi hunc circiter aequantes; hic apice crassior ac densius pubescens. *Calyx* lineâ paulum longior, *sepalis* obtusis ciliolatis, membranaceis; glandulae per paria conjunctae, oblongae, novem, scil. nonâ quasi accessoria, paulo excentrica. *Petala*, alba?, calyce duplo longiora, unguiculata, rotundata, valde concava, eroso-dentata. *Stamina* alterna quidquam longiora, *filamentis* complanatis, *antheris* ovatis obtusissimis, basi emarginatis. *Ovarium* dense pilosum. *Stylus* (duobus prorsus coalitis) simplex, pilosus, stamina aequans vel subsuperans; *stigmata* plana glabra.

BANISTERIA, LINN.

Banisteria lucida, RICH. (*Act. Soc. H. Nat. Paris.* Tom. 1.), — *B. lobulata*, ERN. MEYER (*Nov. Act. Nat. Cur.* Tom. 12. p. 813), — *B. appendiculata*, LAMB. (DC. *Prodr.*), — *B. divaricata*, JUSS. (*Monogr.* p. 158), — *B. calocarpa*, MIQ. (*Symb. Sur.*) arcto connubio conjunctae et probabiliter samararum etiam similitudine, alula scil. ad alae basin accessoria, insignes, omnes fere characteribus completis differentialibus adhuc indigent, quum pleraeque e speciminibus incompletis, vel tantum samariferis vel tantum floriferis, descriptae fuerint. — *B. lucida*, quae prima innotuit, in opere parum divulgato descripta, a CANDOLLEO in *Prodr.* neglecta erat. — *B. appendiculata* ex Herb. Lambertiano paucis tantum a DC. adumbrata est, neglecta, quae necessaria fuisset, comparatione cum praecedente. — *B. lobulata* e

specimine surinamensi Hostmanniano fructifero tantum innotuit. — *B. divaricata* huic certo valde affinis, florens, *calocarpa* contra, pariter affinis, tantum fructifera visa est.

N^{us}. 1027. *Herb. Hostm.* (specimen florens) a cl. BENTHAM (*Lond. Journ. of Bot.* Tom. 7. p. 129) ad *lobulata*, a cl. GRISEBACH vero (*Linnaea* Tom. 22. p. 10) ad *lucidam* ducitur, qui cum ea simul *divaricatam* conjungit. BENTHAMUS fortassis ita fecit, quia *lobulata* etiam e specimine Hostmanniano, proposita fuisset. Ab altera parte autem minime obliviscendum, MEYERUM, (quum illam speciem proponeret, species probabiliter duce Prodromo Candolleano explorans), *B. lucidam* prorsus neglexisse, quare quaestio oboriri potest, num haec eadem censenda sit ac species Meyeriana. Revera immaturae samarae secundum ipsum specimen Richardianum facta descriptio (*Monogr. Malp.* p. 158), satis cum adumbratione Meyeriana congruit.

In *B. lucidae*, RICH., *specimine Hostm. cit.* haec vidi. *Rami* subcylindrici, crassiusculi, juniores subcompressi vel sulcati, pilis appressis fusco-griseis, sensim evanescentibus, *nodis* inter petiolos linea elevata marginatis. *Petioli* teretes, a lateribus aliquid compressi, antice anguste profunde sulcati, subpubescentes, 3—4 lin. longi. *Folia* patentissima, subdecussato-opposita, 4, plerumque 5 poll. longa, 1½- plerumque 2 supra medium lata, obovato-oblonga, in acumen lineare-lanceolatum vulgo obtusiusculum abrupte desinentia, basi cuneata acuta, supra in sicco nigrescentia nitida, glabra, sub lente elevato-punctulata, subtus pallide fusca vix nitida, sub lente pilis teneris et punctulis quasi squamulosis inspersa, senescentia probabiliter glabra, costulis erectopatulis quaternis vel quinis, remotius a margine arcuato-connexis, prominulis et anastomosantibus, glandulis tum in petiolo tum in lamina nullis, nisi minutissimas impressiones concaviusculas in ipso folii margine paucas, lente fortiore tantum visibiles et ut videtur glandulosae compagis, ad genuinas glandulas referre velis. *Umbellae* axillares aggregatae, ex quavis axilla circiter 5, pedunculatae, simplices, 3—6-florae. *Pedunculi communes* ima basi haud raro inter se cohaerent, 2— vulgo 4 lin. longi, paullo infra medium, rarius prope basin articulati et *bracteis* parvis ovatis villosulis muniti, ex apice pluribracteato *pedicellos* 3—6 lin. longos, pedunculum ut plurimum superantes, exserunt. *Alabastra* obovato-globosa, dense villosa. *Calycis* octoglandulosi (glandulae ovatae crassae) *sepala* ovata obtusa, appresse villosa. *Petala* ungui-

culata, inaequalia, superiora majora, inferiora minora, elliptico-obovata obtusissima, 3—4 lin. longa, lacero-dentata, dorso praeter marginem dense villosa, concava, undata. *Filamenta* calycem aliquid excedentia, basi dilatata pilosaque; *antherae* obovato-oblongae, utrinque emarginatae, parce pilosae. *Ovarium* villosum. *Stylus* stamina aequans, glaber, *stigmatibus* truncato-capitellato.

TAB. XX. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. alabastrum; b. flos; c. petalum intus; d. stamen antice et postice; e. styli apex cum stigmatibus; auct. magn.

Speciem sequentem praecedenti et *calocarpae* arcte cognatam, secus flumen Marrowyne sup., Aug. florentem (»frutex scandens, floribus sulphureis») legit KAPPLER (n^o. 1900 *Heteropterys hiraoides*, in sched.):

Banisteria polita (n. sp.). *Ramuli* compresso-teretiusculi, laeves, fusciscentes, parce pilosuli, dein glabri, graciliores quam in praecedente. *Nodi* linea transversa marginati. *Petioles* in sicco fusci, antice sulcati, rarissimis pilis inspersi, mox glabri, 2--3 lin. longi. *Folia* 3½- plerumque 4½ poll. longa, 1¼- vulgo 1¾ ad mediam alt. lata, elliptico-oblonga acuminata, acumine recto vel obliquo obtusiusculo, nec adeo abrupte exorto quam in praecedente, basi acuta, membranaceo-coriacea, supra nitidissima splendens, laevissima, haud punctata, nervisque notata, subtus haud punctata, paulo pallidiora, nitidula, glabra, costulis quaternis vel quinis, a margine remotius conjunctis reticulatisque instructa, in praesenti specimine excrescentiis callosis orbicularibus concavis ac marginatis obsita, inque marginibus similibus impressionibus glandulosis ac in praecedente specie instructa. *Umbellae* axillares vel inter summa folia terminales, vulgo e quavis axilla tres, villosulae. *Pedunculi communes* 2, raro 4 lin. longi, infra vel supra medium articulati et *bracteis* oppositis ovatis vel sublanceolatis instructi, ex apice pluribracteato *pedicellos*, pedunculum ut plurimum aliquid superantes, exserentes. *Flores* paulo minores et teneriores quam in praecedente. *Petala superiora* majora, *inferiora* minora, unguiculata, suborbicularia, lacero-dentata, basi abrupte (nec subacute vel cuneatim) in unguem contracta, dorso praeter marginem dense villosa, 2—3 lin. longa. *Stamina* calyce longiora, *filamenta* basi villosa, superne glabra, *antherae* oblongo-lineares utrinque emarginatae, loculis villosulis. *Stylus* omnino ut in praecedente. *Samarae* 2½—2¼ poll. longae, ubique pilis appressis rarioribus villosulae, *ala* dimidiato-obovata, margine exteriori recto

vel vix concaviusculo erosulo-extenuato, interiore incrassato recto superne apiceque convexo-rotundato, superne 5 lin., basi 2—1½ lin. lata, ala accessoria interna subtriangulari-ovata obtusiuscula circiter trilineari (cui stylus adstat imo pilosulus, superne glaber), *corpus* globosum ubique, attamen uno latere plus quam altero, *cristulis* dentiformibus muricatum.

Adnotatio. Samarae forma haec species ab *appendiculata* (fide JUSSIEUI iconis in Tab. XIII. *Monographiae*) et a *lobulata* (e fusiore MEYERI descriptione) satis differt et quomodo a *calocarpa*, simillima licet, distinguatur, ex icone, quam adjeci, dijudicandum.

TAB. XXI. Ramus florens *B. lucidae*, nat. magnitudine.

a. flos; b. stamen antice et a latere; c. stylus, auct. magnit.; d. samara, nat. magn.

In eadem tabula *B. calocarphae* duas samaras, nat. magnitudine delineatas, exhibui, quarum descriptionem olim in *Linnaea* l. c. dedi.

HETEROPTERYS, H. B. K.

1. *Heteropterys? apiculata* (n. sp.), ramulis petiolisque medio biglandulosis parce pilosis, foliis elliptico-oblongis utrinque rotundatis, apice brevissime acute vel obtuse apiculatis, basi leviter emarginatis, coriaceis, nascentibus supra indumento cretaceo obductis, adultis glabris, subtus costatis pubeque metallicum renitente aurea (verrucisque numerosis in supp. specimine) instructis, paniculis terminalibus (ternis) basi foliatis rubiginoso-sericeo-tomentellis, umbellis singulis pedunculatis vulgo quadrifloris, pedicellis medio bibracteatis pedunculum apice bracteatum superantibus, calyce dense rubiginoso-piloso octoglanduloso, glandulis geminatis ovatis demum patulis intus pilosis dorso pallidis, petalis parvis unguiculatis oblongo-obovatis concavis irregulariter denticulatis.

Mense Aug. floribus flavis instructam, locis humidis secus *fluvium Marrowyne* legit cl. KAPPLER. — Siquidem hujus generis est, quod fructu deficiente incertum, prope *H. sericeam* et praesertim *macrostachyam* accedit. Si *Tetrapterys* esset, cum *T. calophylla*, Juss. comparari posse videtur.

Petiole 2—3 lin. longi, antice anguste sulcati, supra medium utrinque glandulosi. *Folia* 6—6½ poll. longa, 2¾— vix 3 lata, supra nervis impressis notata, subtus denis costis patulis versus marginem adscendentibus pertensa; floralia multoties minora. *Inflorescentiae* 4—5 poll. longae, ramis vel unum vel plures ramulos umbelligeros proferentibus. *Bracteae* ovatae, dense pilosae. *Bracteolae* rotundato-ovatae. *Calyx* 1 lin. circiter longus. *Petala* 1½ lin. *Filamenta* calycem aliquid excedentia, superne glabra. *Antherae* ovatae. *Stylus* glaber, in *stigma* suboblique truncatum terminatus.

TETRAPTERYS, CAV.

1. *Tetrapterys complicata* (n. sp.), ramulis petiolis foliisque nascentibus subtus rarissimis pilis inspersis, caeterum glaberrimis, his modice petiolatis recurvato-patulis, ovato- vel saepe elliptico-oblongis, breviter acuminatis, basi obtusis, antrorsum complicatis, coriaceis, eglandulosis, nitidis, venis erecto-patulis teneris quinis vel septenis, racemis ex axillis supremis plerumque geminato-terminalibus breviter pedunculatis appresse hirtellis, calyce decemglanduloso, petalis parvis (flavis) obovatis crosso-denticulatis glabris, samarae glabrae alis (quatuor) subaequalibus, duabus paullo latioribus, apice ut plurimum paucidenticulatis vel subexcisis.

Fruticem elatiorem in savana prope *Bergendaal* m. Octobri florentem et samariferum legit cl. FOCKE. Speciem perquam distinctam sistit, prope *fimbripetalam*, ut videtur, inserendam.

Rami biennes teretiusculi, glaberrimi, laeviusculi, pennam corvinam crassi, *internodiis* 2—1 poll. longis. *Petiole* semiteretes antice plano-concavi, 1 lin. circiter longi. *Folia* supra nitida, in sicco subtus flavescentia, omnia plane complicata, in acumen breve obtusiusculum vulgo desinentia, margine, sub lente, laevi cincta, venis utrinque perquam obsolete, 2—3 poll. longa, 1—1⅛, raro 1¼ lata. *Stipulae* axillares, exiles, geminatae, lanceolatae, concaviusculae, puberulae. *Inflorescentiae* ex axillis supremis solitariae vel ad verticem rami geminatae, inferiores saepe majores, 1½—2½ poll. longae. *Axis* tenuis. *Bracteae* ovae, reflexo-patulae, hirtellae, inferiores 1 lin. longae, superiores minores. *Pedicelli* medio vel infra medium articulati, ad articulationem bra-

cteolati, 2 lin. longi, parte superiore, i. e. *pedicello proprio*, densius canescente. *Calyx* 1 lin. paullo brevior; *sepala* ovata obtusa appresse-hirtella; *glandulae* sepalis $\frac{1}{2}$ breviores, serius accrescentes, per paria cohaerentes. *Petalata* longe unguiculata valde concava, basi subemarginata, apice obtusiuscula, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{3}$ lin. longa. *Filamenta* compressa, antice pilosula, *antherae* recurvulae, oblongo-ovatae obtusae, basi leviter emarginatae, connectivo in sicco atrofusco. *Ovarium* pilosum; *stylus* glaber. *Samarae* juniores parce pilosae, dein glabrae, praeter basin vulgo adhuc pilosulam. *Cristae* dorso lobulato-dentatae, appendiculis lateralibus paulo longiores. *Alae* 3—4 lin. longae, subspatulato-lineares.

H I R A E A, JACQ.

1. *Hiraea multiflora* (n. sp.), ramulis, inflorescentia, petiolo nervoque medio subtus canescenti-hirtellis, petiolis breviusculis apice bistipulatis biglandulosisque, obovato-vel lato-ellipticis breviter obtuseque apiculatis, basi rotundatis vel emarginatis, junioribus subtus in nervis venulisque pilosis, sensim praeter nervum medium glabrescentibus, supra glabris pergamaceis, inflorescentiis pedunculatis tri-umbellatis, in axillis superioribus solitariis, in inferioribus saepe ternis, densis, robustis, calyce eglanduloso.

Prope *Paramaribo* m. Martis florentem detexit *cl. FOCKE*.

Frutex elatior floribus flavis, proxime prope *H. fagifoliam* accedens, sed robustior, foliis crassioribus, magnitudine ea *H. Riedleyanae* aequantibus, subtus pilosis, inflorescentiis aggregatis, robustis, floribusque majoribus insignis. *Rami vetustiores* glaberrimi, saepe minutis verruculis inspersi, *nodis* ut plurimum marginatis. *Petioli* 1—3 lin. longi, semiteretes, crassi, apice *stipulis* linearibus incurvis sensim decurtatis retroque duabus *glandulis*, instructi. *Folia* saepe nitida, laevia, demum nervis subsulcata, subtus pallidiora, licet utrinque viridia, costis octonis circiter, prominentibus, arcuatoque patulis venulisque fere prominulis notata, 3—5, rarius 6 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ —3 lata. *Inflorescentiae* densae, contractae, robustae, incanae, raro pollice longiores, *pedunculo pedicellisque* crassis. *Flores* omnibus partibus iis *H. fagifoliae* similes sed $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$ majores. *Antherae* utrinque emarginatae, connectivo crasso, fusco, loculis luteis.

2. *Hiraea fulgens* β *demerarensis*, Juss. (*Monogr. Malp.* p. 318). In sylvis secus *flumen Commewyne superius* legit cl. Focke. Stirps elegans, opinante jam ill. ADR. JUSSIEU, speciem distinctam omnino sistere videtur. Samaris autem nondum observatis, characteres sufficientes erui haud possunt.

Rami teretes substriulati, adulti glabri, *juniores* appressis pilis conspersi. *Petiolis* semiteretes, 2 lin. circiter longi, ipso apice utrinque versus dorsum *glandula* subovali planiuscula, pauloque infra apicem *stipula* lineari 1 lin. longa, patula, recta vel curvata instructi. *Folia* 3—4 poll. longa, 1—1½-vulgo 1½ poll. lata, elliptico-lanceolata breviter acute acuminata, basi obtusiusculo-rotundata vel leviter emarginata, latitudine maxima plerumque ad mediam altitudinem pertingente, subcoriacea, supra nitida, glaberrima, in sicco fusca, nervoque medio sulcata, subtus costis circiter denis erecto-patulis parallelis prominentibus pertensa, anastomosibus tenerrimis, pubeque tenui sericeo-aurata. *Umbellae* sericeo-pubescentes, axillares, saepe tres *pedunculo communi*, 1—1½ lin. longo, apice tribracteato, sustentae, singulae pedunculatae (pedunculis partialibus 1—2 lin.) ut plurimum triflorae, aliquando quinqueflorae, *pedicellis* 2—3 vel aliquando 4 lin. longis, gracilibus, sursum paulo incrassatis. *Calyx* villosulo-pubescentis eglandulosus, *sepalis* ovato-triangularibus acutis. *Petala* unguiculata, flava, inaequalia, inferimum praesertim reliquis minus, rotundato-obovata vel ovata, irregulariter denticulata, glabra. *Stamina* alterna paulo breviora, inferiora etiam pedetentim minora, sed calycem excedentia, *filamentis* subulatis, *antheris* albidis basi leviter emarginatis. *Styli* tres glabri; *stigmata* oblique lanceolata, basi subincrassata.

Adnotatio. In *Herb. Hostm.* sub n. 225 specimen adest foliis minoribus obovato-ellipticis obtuso-apiculatis, quod a cl. GRISEBACH (*Linnaea* Tom. 22. p. 261) ad *H. chrysophyllum*, Juss. ducitur, a qua specie vero glandularum defectu facile distinguitur.

TAB. XXII. Ramus florens, sec. spec. Fockeanum, nat. magnitudine.
a. flos; b. stamen antice et postice; c. styli, auct. magn.

3. *Hiraea rosea* (n. sp.), petiolis, ramis junioribus et inflorescentia lutescenti-tomentosis, foliis breviter petiolatis obovatis breviter acute apicu-

latis, subtus incano-pubescentibus, supra scabriuscule puberulis, pilis simplicibus vel plerumque bifidis, thyrso terminali opposito ramoso, racemoso, bracteato, bracteis oppositis subspathulato-linearibus obtusis vel obtusiusculis, calycis octoglandulosi sepalis longiusculis spathulato-linearibus, obtusis, utrinque pubescenti-hirtellis, reflexis, petalis longe unguiculatis cristulato-denticulatis, dorso puberulis. — Sect. *Mascagnia*, JUSS. — *Trilophopterys*, GRISEB.

Fruticem scandentem, floribus roseis, locis humidis secus *flumen Commewyne superius*, m. Augusto legit. KAPPLER (*Herb.* n. 1807).

Specimen suppetens mancum, species in genere fere heterogenea, inflorescentia ex racemis ramosis conflata, bracteis densis, inferioribus vacuis. *Folia* membranacea, $4\frac{1}{2}$ —5 poll. longa, $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ lata. *Samarae* immaturae 6 lin. longae; alae semiorbiculares, cristam alaeformem superantes, setis brevibus appressis articulatis sericeo-hispidae.

H I P P O C R A T E A C E A E.

S A L A C I A, LINN.

1. *Salacia macrophylla* (n. sp.), foliis lato-ellipticis vel oblongis, apice rotundato abrupte in apiculum brevem canaliculato-complicatum contractis, margine leviter incurvo integerrimis (ad lentem sphacelato-erosulis), coriaceis, glabris, laevibus, venis patulis supra prominentibus, cymis ramulos laterales terminantibus densis ramosis multifloris rubiginoso-tomentellis, calycis lobis rotundatis petalisque obovato-rotundatis coriaceis puberulentis.

Frutex scandens, floribus flavidis, ad ripam *fluminis Marrowyne superioris*, m. Aug. (KAPPLER n. 1806).

Species in hoc genere, fructu adhuc incognito, haud certissima, aliqua cum probabilitate ex habitu et florum conformatione huc tamen ducenda.

Ramuli obtuse tetragoni, rigidi, cinereo-subsquamulosi. *Folia* opposita, *petiolis* 2—4 lin. longis, a lateribus leviter compressis, antice canaliculatis sustentata, aliquando in ramulo brevi duo, folium bifoliolatum nunc simulantia, rigide coriacea, utrinque glabra, laevia, supra nitida, costa venisque denis et duodenis, patulis, subarcuatis, usque ad marginem extensis, reticulatis acute prominentibus, pertensa, subtus his vix distinctis nec reticulatis, costâ vero crassa in apiculum complicatum continuatâ, 5—7 poll. longa, 2½—3½ lata. *Inflorescentiae* ramulos rigidos, leviter compressos et curvatos, patentes terminant, basi probabiliter foliis depauperatis suffultae, coarctatae, trichotome ramosae, densiflorae, rubiginoso-tomentellae, verisimiliter glabrescentes. *Bracteae* ovatae acuminatae, coriaceae, concavae, tomentellae et ciliolatae. *Flores* breviter pedicellati, *pedicellis* basi bracteolatis. *Alabastra* globosa. *Calycis* lobi coriacei, rotundati, puberuli, marginibus extenuatis subciliolati, petalis ½ breviores. *Petala* obovato-rotundata, coriacea, utrinque praesertim apice puberula, tenerrime subciliolata, lata basi inserta, fere 2 lin. longa. *Discus* carnosus extenuatus, calycis et staminum circiter longitudine, rotundatus, leviter concaviusculus, petalis ovarioque arcissime applicitus. *Filamenta* glabra leviter compressa recurvata. *Antherae* parvae loculi duo, filamenti apici inserti, oppositi, breves, transverse dehiscentes. *Stylus* brevis attenuatus. Fructus incognitus.

TAB. XXIII. Ramus et ejus pars florens, nat. magnitudine.

a. flos, antice; *b.* genitalia a reliquis floris partibus separata; figg. aucta magnitudine.



HUMIRIACEAE.

HUMIRIUM, MART.

1. *Humirium surinamense* (n. sp.), ramulis, petiolis, foliis junioribus subtus in nervis, inflorescentia, calyce, petalisque medio dorso, pilis

teneris patulis inspersis, foliis rotundato-vel elliptico-obovatis acutiusculis vel emarginatis, basi abrupte in petiolum alatum contractis, repando-crenulatis interque crenas subtus secus marginem glandulosis, coriaceis, cymis axillaribus longe pedunculatis folium superantibus ancipitibus, calycis lobis abbreviatis rotundatis, filamentis ad margines papilloso-muriculatis, antherarum loculis ciliolatis connectivo acutato superatis.

In savana prope plantationes *Berlyn*, *l'Inquietude*, m. Septembri florentem detexit cl. FOCKE.

Arbuscula floribus albis, *Humirio floribundo* consimilis, sed pube, foliis latioribus, crenis perspicuis, distinguenda. *Ramuli* in sicco fusculi, adulti cylindracei, glabrati, juniores pilosuli et quandoque indumento pulveraceo albo obtecti. *Petioli* $\frac{1}{2}$ —1 poll. longi, lati, alulati, alulis antrorsum vel deorsum flexis. *Folia* coriacea, rigida, supra glabra nigrescentia, subtus pallida, costa colorata versus apicem evanescente venulisque creberrimis subpatulis tenuibus reticulatis notata, minora fere integerrima, majora crenulata, margine subcolorato subtus inter crenas impresso-glanduloso, senescentia apice emarginata, $1\frac{1}{2}$ -fere 4 poll. longa. *Cymae* axillares, *pedunculis* ancipitibus fuscis 2—4-pollicaribus, ramosae, di-trichotomae, *ramis* acute angulatis, *bracteis* ovatis acutatis. *Bracteolae* lato-ovatae. *Pedicelli* cum pedunculis articulati, glabriusculi. *Calycis lobi* rotundati, fere ad basin liberi, parce pilosuli, glabrescentes. *Petala* 1 lin. longa, lanceolato-linearum acutiuscula. *Drupae* obovoideae.

Formam glabriorem, fruticem elatiorem, m. Maji florentem in *Joden-Savana* legit cl. FOCKE. Pili rariores, sed in petalis versus apicem dorsi densiusculi. Ad *H. floribundum* quam proxime etiam accedit, satis vero distinctum partium forma. Pubescentia fallacem in hoc genere characterem praebere videtur.

TAB. XXIV. Ramus florens et folium separatum, n. magnitudine; cum margine glandulifero paulum aucto.

a. alabastrum; b. petala extus et intus; c. flos demtis petalis; d. stamina, a ventre, dorso et latere; e. gynoeceum; figurae vario gradu auctae.

H Y P E R I C I N E A E.

V I S M I A, VELLOZ.

1. *Vismia ramuliflora* (n. sp.), ramis subcylindricis, ramulis compressiusculis tenerrime et fugaciter puberulis cito glabratis, foliis breviter petiolatis ellipticis acuminatis, basi acutis, membranaceis glabris, supra nitidis, subtus punctulatis, venis quinis senisve patulis ante marginem unitis, cymis brevibus ex axillis, etiam defoliatis, subfasciculatis puberulis, floribus breviter pedicellatis, sepalis oblongo-ellipticis obtusis pilis substellatis puberulis, petalis crasse glandulosis ellipticis, extus glabriusculis, intus hirtis, adelphiis pilosulis, squamis hirtellis.

Frutex floribus albis, in sylvis umbrosis regionum interiorum secus *flumen Suriname*, m. Aprilis a KAPPLERO detectus (n. 1823).

Foliorum forma et floribus ad *V. cayennensem* accedit, sed foliis latioribus, sepalis brevioribus et praesertim inflorescentia laterali tuto distinguitur. *Petioles* $\frac{1}{2}$ —4 lin. longi, antice anguste sulcati. *Folia* utrinque plus minus nitida, supra in sicco castanea, subtus pallida, in acumen modicum obtusiusculum desinentia, $2\frac{1}{2}$ —4 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lata. *Inflorescentiae pedunculus communis* 1—2 lin. longus. *Alabastra* globosa. *Sepala* 1 lin. longa, petalis aliquid breviora. *Styli* stamina superantes inaequales, *stigmatibus* parvis peltatis.

Adnotatio. N^o. 162 *Herb. Hostm. Vismia latifolia*, CHOIS., a cl. STEUDELIO habetur, sed ex icone AUBLETII huic speciei folia basi multo latiora et lato-truncata competunt. Est potius illa species quam tanquam *Vismiam angustam*, n. sp. in *Linnaea* Tom. 18. p. 27 descripsi, quaeque foliis vulgo elongatis, basi non emarginatis, ab illa Aubletiana differt et *V. ferrugineae* affinior esse videtur.

C L U S I A C E A E.

G A R C I N I A, LINN.

Generis hujus fere gerontogaei nuper aliquot species americanae a MARTIO et BENTHAMO propositae sunt, quae inter sectiones *Mangostanae* et *Brindoniae* quasi intermediae, floribus e tuberculis axillaribus fasciculatim protrusis, singularem quasi sectionem postulare videntur. E Guiana tres sequentes innotuerunt.

1. *Garcinia macrophylla* (MART. in *Flora Ratisb.* Tom. 24. *Beybl.* p. 35), foliis lanceolatis vel lanceolato-oblongis (pedalibus) subinaequilateris, utrinque acutis, subundatis, coriaceis, nitidis, venis parallelis utrinque nervo marginali conjunctis, pedunculis axillaribus e tuberculo bracteato pluribus, petiolum paulo superantibus, sepalis rotundatis, petalis oblongo-obovatis, bacca ovata, stigmate magno convexo peltato quadrisulcato.

Speciem ex *Herb. Brasil.* MART. n^o. 481 (1) primum cognitam, in Surinami sylvis HOSTMANNUS detexit (n^o. 587). Surinamensem stirpem eandem esse ac illam brasiliensem dubitandum vix videtur, licet in nostris folia sint majora. — *Ramorum cortex* laevis. *Petioli* semitereti-trigoni, antice concaviusculi, rugulosi, $\frac{1}{2}$ —1 poll. longi. *Folia* 12—14 poll. longa, $3\frac{3}{4}$ — $4\frac{1}{2}$ lata, basi acuta vel acutiuscula, venis utrinque prominulis, tertiariisque conspicue reticulatis. *Gemmae* axillares intus concavae, extus convexae. *Peduncululi* $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ poll. longi. *Petala* bilinearia. Genitalia effoeta. *Stamina* in Martianis ultro 20, alia libera, alia basi cohaerentia, *filamentis* subulatis, *antheris* parvis globosis, connectivo extus plano. *Ovarium* ovoideum, 4-loculare. Baccam maturam haud vidi.

2. *Garcinia floribunda* (n. sp.), foliis lanceolato-oblongis breviter apiculatis, basi acutis, margine incurvis, (fere semipedalibus), coriaceis,

venis prominulis reticulatisque, floribus axillaribus e tuberculo numerosis, pedunculis filiformibus petiolum multo superantibus, sepalis duobus majoribus, duobus minoribus, petalis obovatis, staminibus 16—20, filamentis basi liberis, ovario hemisphaerico sulcato, stigmate sessili peltato pluri-radiato. — *Garcinia brasiliensis*, MART. *l. c.* p. 34 *forma major* in *Para* lecta, quae a genuina specie, cui folia minora, pedunculi breviores, imo stigma obiter 4-lobum, separari debet.

In Surinami regionibus interioribus KAPPLER detexit (n. 593^a).

Folia breviter petiolata, 5—6 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ lata, costâ subtus acutangulâ, supra obtusatâ, utrinque prominente venisque horizontalibus tertiariisque etiam utrinque manifestis. *Pedunculi* filiformes, pollicares. *Sepala* concava, rotundata, *petala* iis duplo majora, basi attenuata. *Filamenta* longiuscula basi complanata, *antherae* ut praecedentis.

3. *Garcinia? parvifolia* (BENTH. in *Lond. Journ. of Bot.* Tom. 2. p. 370), in monte *Carawiene Guianae anglicae* a cl. SCHOMBURGK detecta.

C L U S I A, LINN.

1. *Clusia grandiflora* (SPLITG. in *Tijdschr. v. Nat. Gesch.* Tom. 9. p. 101), foliis obovatis basi cuneatis, petalis octo albis, stigmate 14—15-radiato, capsula 14—15-valvi, globoso ovoidea.

Haud procul ab urbe *Paramaribo*, prope *Blaauweberg* alibique FOCKE, SPLITGERBER, HOSTMANN (nº. 572), KAPPLER (nº. 1698) legerunt.

Species perquam spectabilis, *Clusiae insigni* olim a cl. BENTHAM annumerata, cui, quantum ex MARTII *Nov. Gen. et Spec.* Tom. 3. p. 164. Tab. 288 et ex SPLITGERBERI adumbratione meisque eximiis speciminibus dijudicare licet, certe quam maxime affinis est. Statura grandiore autem, floribus 5—6 poll. in diametro, petalisque albis a brasiliensi illa differe videtur, cui flores 4 poll. lati, petala extus alba, intus purpurea tribuuntur.

Arbuscula 20-pedalis, *succo* flavo viscido, a basi ramosa, ramis crassis patulis. *Petioli* fere bipollicares, trigono-semiteretes, antice plani, superne dilatati, imâ basi concavi et quasi glandulosae indolis. *Folia* rigido-coriacea, venis subparallelis numerosis fere horizontalibus in sicco utrinque notata, costâ subtus valde prominente infra apicem delitescente, citra marginalem nervulum laevigato-marginata, pleraque versus basin cuneata, apice lato-rotundata, 7—10, raro 12 poll. longa, $3\frac{3}{4}$ —4—6 lata. *Flores*, teste cl. FOCKE, dioici, foeminei paullo minores. *Pedunculi* ad ramulorum apices axillares et terminales, uni-bi-vel triflori, *cymam* simplicem itaque ferentes, *communis* 1—1 $\frac{1}{2}$ poll. longus, *bracteis* 2 oppositis ovatis concavis, pollice dimidio majoribus, crassis, *pedunculos partiales laterales* ancipiti-compressos fulcientibus. *Bracteolae* immediate sub flore 2, dorso carinatae, bracteis duplo minores, ■ sepalis distinctissimae, post floris casum persistentes. *Alabastra* depressoglobosa. *Sepala* imbricata 6, per paria decussata, rotundata, concava (bina inferiora haud bracteiformia uti SPLITG. statuit), $\frac{1}{2}$ —1 poll. longa, interiora magis oblonga. *Flos masc.* expansus 6, raro fere 7 poll. in diam. (in sicco compresso). *Petala* octo, obovata, apice rotundata, infra fructum cum sepalis marcescenti-persistentia. *Flores masc.* vidi florentes et *foemineos* fructiferos. *Stamina* numerosissima, *filamentis* in anulum connatis, exteriora longiora quam interiora, *antheris* (prae-floratione inflexis) linearibus, loculis lateralibus rima longitudinali apertis, *connectivo* supra loculos longe exserto filiformi-subulato. In ipso centro fl. masculorum *corpus* depresso-globosum, resinosa materie plenum, e staminibus sterilibus conglutinatis formatum, ovarii rudimentum simulans. *Capsula* ovata, maturescens magis globosa, post dehiscenciam depresso-globosa, 3—3 $\frac{1}{2}$ poll. longa, albida, cepaceo-micans, *stigmatibus* radiato (radiis extus acutangulis supraque sulco incompleto instructis) persistente et increscente coronata, petalis et sepalis emarcidis suffulta, 14—15-valvis, *valvis* crassis lignosis, 14—15-ocularis, *dissepimentis* totidem e columna centrali exortis. *Semina* placentis crassis, angulo centrali loculorum insertis, innixa, numerosa, ovoidea, 4 lin. longa, arillo aurantiaco inclusa. *Embryo* destructus.

TAB. XXV. Ramus cum alabastris; *a.* basis petioli interna; *b.* bracteolae, nat. magn. sec. spp. in spirit. vini servata.

TAB. XXVI. *a.* flos masculus; *b.* petalum ad nervationem monstrandam; *c.* androecei juvenilis segmentum, a facie interna; *d.* idem a latere; *e.* sub anthesi, nat. magn.; *f.* stamen auct. magn.; *g.* capsula immatura, nat. magn.; *h.* stigma a vertice, auct. magn.; *i.* capsula dehiscens; *k.* eadem longitrorsum

secta, nat. magn., ubi loculi in conspectum veniunt, sinistri videlicet seminiferi, dextri, remotis seminibus, placentas monstrantes, singuli versus basin endocarpii laminis obtecti; *l.* semen maturum, nat. magnitudine.

QUAPOYA, AUBL. (Tom. 2. p. 898).

1. *Quapoya surinamensis* (n. sp.), foliis breviter petiolatis, obovato-spathulatis, apice obtusis vel rotundatis, basi longe cuneatis, crasse coriaceis, costa supra medium evanescente, venulis tenuissimis fere obsoletis, floribus basi bibracteolatis, sepalis sex vel septem, rotundatis concavis imbricatis, inferioribus multum decrescentibus, petalis quinque, floris feminei staminibus quinque nanis obovato-cuneatis compressis retusis, ovario pentagono, stigmate conico quinesulco. — *Q. Pana-pinari*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 232, *haud* AUBL.

In *distr. Para* ad *Osembo*, supra *Geoffraeae* arborem, m. Aprilis, stirpem femineam florentem detexit cl. FOCKE. Ejusdem speciei *masc. specimen* in *HOSTM. Herb.* sub n^o. 295 offenditur.

A *Q. scandenti*, AUBL. Tom. 1. Tab. 343 floribus majoribus, in inflorescentiam contractiorem collectis, foliorum costa *haud* percurrente differt. Proprius ad *Clusiam* (*Quapoyam*) *criuvam*, *CAMB. in ST. HIL. Fl. Bras. mer.* Tom. 1. Tab. 65 accedit, facile vero et floribus minoribus et staminum sterilium forma distinguitur. *Clusia cuneata*, BENTH. in *Lond. Journ.* Tom. 2. p. 368 masculina *Quapoyae* stirps, nostrae etiam affinis, esse videtur.

Rami teretes, *internodiis* $\frac{1}{2}$ —1-poll. longis. *Petioli* semiteretes 1—2 lin. longi. *Folia* 2—3 poll. longa, 6-fere 8 lin. supra medium lata, margine laevi plano, costa in folio dimidio inf. subtus acute prominente sursum evanescente, venis adscendentibus, fere imperspicuis. *Flores* parvi albi, in inflorescentia di-trichotoma, plerumque sessiles. *Sepala* inferiora minutissima, sequentia sensim majora, omnia subscariose marginata. *Petala* sepalis supremis aliquid majora, oblongo-obovata, 2 lin. longa. *Ovarium* circiter lineam lon-

gum; *stigmatis radii* adnati, appressi, extus subpapilloso, unum quasi stigma conicum 5-sulcum efficiunt. *Stamina sterilia* ovario $\frac{1}{2}$ breviora, obovato compressa (antherae steriles), apice obtuso sulco transverso (rimae rudimento) notata. — In *f. masc.* citatis stamina numerosa in globum conglutinata, loculis brevibus obtusis, apice ut videtur dehiscentibus.

ANDROSTYLIUM, *nov. gen.*

Flores polygamo-dioici, bibracteolati. *Sepala* quatuor imbricata (colorata?). *Petala* quinque. *Fem. Ovarium* quinqueloculare, loculis multiovulatis, *stigmatibus* quinque peltatis triangularibus arcte conniventibus, basi *androeceo sterili*, e staminibus conglutinatis, annulari cinctum. *Masc. Androeceum* e basi tumida columnare, apice convexo-capitato antheriferum, *antheris* subglobosis numerosis imbricatis. — *Frutex* haud parasiticus, *Clusiarum* facie, calyce *Havetiae*, antheris *Micantherae* aliquomodo accedens, filamentis (cum toro elongato?) in columnam apice antheriferam connatis, inter contribuales insignis.

Androstylium Fockeanum. — *Clusia Fockeana*, Miqu. in *Tijdschr. v. Nat. Gesch. en Physiol.* Tom. 10. p. 82. *Linnaea* Tom. 18. p. 233.

Crescit in planitiibus arenosis *Surinami superioris* haud infrequens. (Focke, *Hostm. Herb.* n. 811, *mas*; Kappl. n. 1705, *mas* foliis paulo latioribus).

Rami subcylindrici, *cicatricibus* petiolorum triangularibus. *Petioli* antice leviter canaliculati, ima basi concavata incrassati, circiter pollicares. *Folia* forma variabilia, pleraque elliptico-vel oblongo-lanceolata, basi acuta, alia magis obovato-elliptica basi subobtusa, omnia fere acute angusteque acuminata, pauca tantum acuta, rarissime obtusa, haud crasse coriacea, senescentia marginibus revoluta, costa fere ad apicem continuata subtus prominente, venis erecto-patulis parallelis, utrinque, praesertim subtus, distinctis, nervo submarginali unitis, tertiariis subperspicuis; $3\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{2}$, raro $6\frac{1}{2}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ lata, in stirpibus masc. vulgo, ut videtur, latiora, magis obovata vel elliptica, 4— $4\frac{1}{4}$ longa, $2\frac{1}{2}$ lata. *Cyma terminalis*, inter summa folia breviter pedunculata,

trichotoma, pauci- (3—9-) flora. *Flores* pedicellati. *Bracteae* ovatae, concavae, persistentes. *Bracteolae* immediate infra calycem, 2, oppositae, ovato-suborbiculares, 1—1½ lin. longae, post florationem in pedunculi apice persistentes. *Sepala* 4, suborbicularia, concava, marginibus scariosa, 3 lin. circiter longa, imbricata. *Petala* (an constanter?) 5, e basi unguiculata obovato-rotundata, aliquando, sed fortuito, erosula, venosa, ½- vulgo ⅔ poll. longa. In *fl. masc. androeceum* exhibet columnam cylindricam ima basi e corpore annuliformi viscosissimo egressam, 2 lin. superantem, apice capituliformi *antheris* numerosis per 4 circiter series spirales dispositis, densissimis, obsitam. *Antherae* biloculares, loculis brevibus minutis luteis, connectivo tenui, in multis guttulae specie prominente. In *fl. foemineis* (e diversa stirpe carptis) *androeceum* nanum, ex innumeris staminibus multiseriis, materie viscida in annuliforme corpus compictis, constat. *Ovarium* pentagonum, basi nano illo androeceo cinctum, caeterum exsertum. Reliqua in char. gen. — Fructum haud vidi.

Adnotatio. Cum hoc genere comparanda mihi videtur *Tovomita?* *myriandra*, BENTH. l. c. p. 568.

MARCGRAVIACEAE.

RUYSCHIA, JACQ.

1. *Ruyschia lepidota* (MIQ. in *Tijdschr. v. Nat. Gesch. en Phys.* Tom. 10. p. 83, *Linnaea* Tom. 18. p. 235—236), foliis oblongo-obovatis vulgo inaequilateris, basi attenuatis, apice dilatato breviter acutis vel rarius obtusis, coriaceis, ad lentem punctulatis, floribus laxe racemosis, rhachi pedunculisque lepidotis, bracteae tripartitae cruribus lineari-lanceolatis obtusis canaliculato-concavis recurvulis rubello-coccineis, calcar paulo pallidius apice viridulum subaequantibus, petalis staminibusque dilute coccineis.

In *districto Para* alibique legerunt cl. FOCKE et KAPPLER (n. 815^a).

R. Souroubea, WILLD. (AUBL. 1. Tab. 97.) florum, etiam majorum, colore, scil. petalis luteis, bracteis rubris, calcare coccineo, foliis aequilateris apice emarginatis; — *R. corallina*, MART. (*Nov. Gen.* Tom. 3. p. 177. Tab. 294.) prae reliquis *lepidotae* affinis, foliis breviter acuminatis, bracteis spathulatis oblique truncatis, a nostra distinguuntur.

Inflorescentiae rhachis et pedunculi juniores epidermide singulari modo rimulosa lepidoti, adultiores ac petioli magis manifesto rimosi. *Bracteae* tripartitae crura basi praesertim canaliculato-complicata. *Sepala* cum 2 bracteolis conformibus sub lente ciliolata. *Petala* rotundato-oblonga.

TAB. XXVII. Ramulus florens, a cl. FOCKE ad specimen vivum delineatus. *a.* flos antice; *b.* calyx cum ovario, nat. magn.; *c.* stamina antice et a latere, paulo aucta.

EUPHORBIACEAE.

EUPHORBIA, LINN.

1. *Euphorbia Klotzschiana* (n. sp.), erecta, humilis, basi suffruticosa, caeterum herbacea, caule subtereti cum petiolis foliisque inferioribus subtus, subretrorse villosulo, sursum ramoso glabro, foliis oppositis, inferioribus brevissime petiolatis oblongis acutiusculis basi inaequali cordatis subquinenerviis totis serrulatis, superioribus paulo longius petiolatis lanceolatis linearibusque inaequilateris subfalcatis, margine inferiore serrulatis, superiore praeter apicem integerrimis, fere glabris, inflorescentiis ramulos terminantibus subcymosis, involucre campanulato, lobis quinque exterioribus obovato-rotundatis reflexis, basi intus in glandulas transverse oblongas occludentes productis, interioribus alternantibus erectis lanceolatis serrato-incisis, staminibus brevibus, flore femineo solitario exserto, stigmatibus brevibus teretiusculis, capsula ovoidea glabra.

In arenosis juxta *fluvium Marrowyne* (KAPPLER n^o. 1820).

Habitu *E. hypericifoliam var. falciformem* refert, characteribus expositis autem facile distinguitur.

Folia inferiora $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ poll. longa, 2 lin. lata, subsessilia, *superiora*, *petiolis* 1 lin. longis sustentata, 2— $1\frac{1}{2}$ —1 lin. lata, illa pilosa, haec glabra. *Stipulae inferiores* minutae, *superiores* lanceolatae, subserrato-fissulae, scariosae, glabrae, omnes deciduae marginem relinquentes. *Ramuli* alterni. *Folia floralia* omnino linearia, pariter ac reliqua inter venas immersas, singulari modo rectangulariter ramosas, luci obversa, pellucida. *Flores* (involucra scil.) pedicellati, pauci in singuli ramuli apice. *Flos fem.* pedicellatus, *ovarium* semiexsertum. *Capsula*, pedicello elongato, longiter exserta, matura loculicide et septicide dehiscens, ad lentem punctulata.

TAB. XXVIII. Planta integra, naturali magnitudine.

a. involucrum; *b.* longitudinaliter apertum; *c.* pars lobi ext. et interioris; *d.* lobulus involucri cum glandula; *e.* anthera, *f.* stigmata; *g.* capsula immatura stigmatibus coronata, ex involucrio exserta; *h.* cocca submatura; *i.* semen; *k.* longitrorsum sectum cum embryone. Figurae vario gradu auctae.

2. *Euphorbia continoides* (Miq. in *Linnaea* Tom. 21. p. 473.), arbuscula, teste KAPPLERO (*Herb.* n^o. 1669) venenata, Carabis *Gunapalu* dicta, piscatui inserviens, proxima est *E. insulanae*, VELLOZ. *Fl. Flum.* Tom. 5. Tab. 14, pertinet ad sect. *Alectoroctonum*, SCHLTD. in *Linnaea* Tom. 19. p. 252, et ulterius cum *A. ovato*, *ibid.* conferenda est. Planta est glabra, *foliis* ternis et oppositis, longe petiolatis, ovatis vel elliptico-ovatis, majoribus obtusis, minoribus acutis, membranaceis, integerimis, venis tenuibus patulis septenis vel octonis, *stipulis* teretiusculis minutis deciduis maculam luteam relinquentibus, *involucris* in *cymulas* axillares vel terminales paucifloras dispositis, campanulatis, glabris vel glabriusculis, *limbi* lobis exterioribus quatuor lato-rotundatis emarginatis vel fissis, basi intus in glandulas latas transverse subsulcatas continuatis, *staminibus* pluribus, *fl. femineo* solitario. — Folia majora 2-pollicaria.

Plures species americanae, huic, *cotinifoliae*, rel. affines, inter se comparandae, nunc sub *cotinifolia* adhuc confusae esse videntur.

S A P I U M, JACQ.

1. *Sapium Hippomane*, MEY. *Esseq.* p. 275, *excl. syn.* PLUM. *Icon. ed.* BURM. Tab. 171. fig. 2. Hippomane biglandulosa, LINN. *Plant. Surin. in Amoën. Acad.* Tom. 8. p. 263.

In *Surinami hortis* occurrit, probabiliter indigena.

Stirps hucusque nullibi accurate descripta. *Rami* cylindracei vel fere obtusotetragoni. *Folia* alterna, *petiolis* $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$, ut plurimum 1 poll. longis, antice canaliculatis, apice utrinque glandula teretiuscula, 1 lin. circiter longa patenti, munitis, sustenta, oblonga, saepe subobversa, sursum scil. aliquid latiora, basi acuta, apice brevi apiculo vulgo inflexo leviterque torto terminata, repandocrenulata vel fere tota (basi semper) integerrima, marginibus praesertim versus apicem 1—3-glandulosa, (*glandulis* brevibus teretiusculis), submembranacea, penninevia, venis horizontalibus, $2\frac{1}{2}$ —7, plerumque $5\frac{1}{2}$ - fere 6 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{1}{8}$, vulgo 2 poll. lata. *Spicae* solitariae vel ternae, rectae, a basi fere floriferae, 8—10 poll. longae, parte $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{4}$ inferiore feminea, superiore mascula et post florescentiam decidua. *Flores feminei* solitarii; singulus *bracteis* 2 elliptico-ovatis utrinque obtusis, excentrice peltatis, appressis, 1 linea paulo brevioribus, suffultus. *Perigonium* membranaceum breve-3-dentatum, dente postico paulo acutiore, lateralibus obtusis. *Ovarium* ovoideum, superne paulo angustatum, triloculare, triovulatum, *stigmatibus* convexo semigloboso-calypttrato, centro adnato, integerrimo, aequabili. *Flores masculi* 6—8-fasciculati. *Singulus fasciculus bracteis* similibus ac fl. foemineus, geminis, suffultus. *Perigonium* vesicatum, basi in brevissimum quasi pedicellum contractum, membranaceum, sub anthesi transverse fissum, bilobatum, demum ultra medium divisum. *Stamina* 2 centralia, exserta, *filamentis* usque ad basin liberis, *antheris* bilocularibus, loculis anticis, subdiscretis, antheram bilobatam dilatatam effingentibus. *Capsula matura* perigonio partim persistente innixa, globosa, leviter trisulcata, glabra, circiter semipollicaris, apice stigmatibus partim persistentibus subumbilicata, trilocularis, loculis monospermis, in immaturis sub exsiccatione apertis, *pericarpio* rigido dorso transverse plica-

to et sic vi quasi a vertice inde aperto; in maturis crassius est, mollius, *mesocarpio* celluloso, *endocarpio* laevi elastico, sub maturitate in tres coccos secedens, intus demum, ut videtur; bivalvatim apertos. *Semina* sublenticularia, 2 lin. longa, *testa* dura crustacea, verrucoso-papillosa, *arillo* totam obtegente, in immaturis albo, in maturis cinnabarino. *Albumen* carnosum.

TAB. XXIX. Ramus florens, nat. magnitudine. *A.* ramus capsulis submaturis, parte masc. spicae nunc decidua. — *a.* alabastrum masc.; *b.* idem provecius; *c.* flos masc.; *d.* idem apertus; *e.* flos foemineus, perigonium, ovarium, stigma; *f.* capsula adhuc clausa; *g.* semen nat. et auct. magn.; *h.* semen longitrossum sectum; *i.* embryo, radícula obtuse truncata. Figurae auct. magn.

Adnotatio I. *Stigmatis* structura a congeneribus ea ratione differt haec species, ut si novi generis titulo haud dignam idcirco censeamus, generis sectioni tamen constituendae inserviat, quae quoad stigma *Beyeriae*, MIQ. (Calyptrostigma, KL.) accedit.

Adnotatio I. *Cnidoscolus surinamensis*, MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 749. Tom. 21. p. 476. planta herbacea est, foliis inferioribus etiam quinquelobis, fl. masculis herbaceis non semper glabris, sed dorso rariter setulosis, a *Cn. quinquelobo*, POHL, satis diversa. Ambae olim forsan sub *Jatropha herbacea* confusae.

GEISELERIA, KLOTZSCH. *mut. char.* (Brachystachys et Geiseleria, *ejusd.*, in *Lond. Journ. of Bot.* 1843. p. 47).

Flores monici. *Masc.* *Calyx* quadri- vel quinquepartitus aequalis. *Petalata* quatuor vel quinque. *Discus* quadri- vel quinquerradiatus, radiis calycis laciniis oppositis. *Stamina* octo vel decem, disco villosa inserta, *filamentis* praefloratione inflexis, sub anthesi erectis, *antheris* introrsis. *Fem.* *Calyx* quadri- vel quinquepartitus, laciniis aequalibus vel inaequalibus: tribus exterioribus laterioribus, duobus interioribus angustioribus. *Petalata* quatuor vel quinque subulata, subinde nana. *Discus* hypogynus quadri- vel quinquerradiatus, radiis sepalis oppositis. *Ovarium* sessile trilo-

culare, oculis uni-ovulatis. *Stylus* sex- vel tri-partitus, partitionibus singulis profunde bifidis. *Capsula* tricocca, coccis bivalvibus monospermis. *Semina* pendula, testa crustacea, caruncula umbilicata. — *Herbae austro-americanae tropicae*, olim ad *Crotonis* species relatae, hirtae, *foliis* alternis vel ad ramificationes oppositis, serratis vel dentatis, subtus ad basin glandulosis, *spicis* axillaribus et terminalibus brevibus.

Genera a *cel.* KLOTZSCHIO proposita, unice floribus tetra-vel penta-meris distincta, simillimas species colligunt, quas in unum conjungere, nequaquam dubitavi. Nomen GEISELERII, *Crotonis* generis Monographi, me retinuisse, haud improbant botanici.

§ flores tetrameri: *Geiseleria*.

1. *Geiseleria chamaedryfolia*, KL. l. c. (*Croton* cham. LAM., GEISEL. *Crot. Monogr.* p. 65).

In Surinamo haud rara stirps herbacea, 1—2-pedalis, *radice* lignosa, digitum circiter longa, perpendiculari, ramosa. *Caulis* cylindricus, inferne simplex, superne opposite ramosus, vel florescentia finita, dichotome continuatus, pilis stellatis pubescens. *Petiolis* modici, pilis stellatis densioribus. *Folia* alterna v. ad ramificationes opposita, infima ovata, sursum sensim in lanceolatam formam transeuntia, acuta, grosse serrato-dentata, membranacea, subtus subglaucescentia, utrinque pilis stellatis, subtus densioribus, simplicibus raris intermixtis, pubescentia, subquintuplinervia, basi subtus *glandula* utrinque una pedicellata concava, quasi tubaeformi, instructa. *Stipulae* minutae lineares. *Spicae* axillares et terminales breves. *Flores* ut in char. generis, tetrameri.

TAB. XXX. Pars plantae, nat. magnitudine.

a. glandulae petiolares; *b.* flos masc.; *c.* sepalum; *d.* petalum; *e.* antherae; *f.* flos foemineus; *g.* capsula immatura; *h.* eadem dehiscens; *i.* semen. Figurae vario gradu auctae.

§ flores pentameri: *Brachystachys*.

2. *Geiseleria hirta*. — (*Croton* hirtus L'HER., GEISEL. l. c. p. 62.)

In Surinamo haud rara species, quandoque fere frutescens, foliorum forma lato-ovata nec non floribus pentameris, calycis lobis inaequalibus a praecedenti distincta, alioquin consimilis.

PHYLLANTHUS, Sw.

1. *Phyllanthus attenuatus* (Miq. in *Linnaea* Tom. 21. p. 479), ramulis lignescentibus, foliis alternis breviter petiolatis, rigide membranaceis, anguste ellipticis vel oblongis, longe attenuato-acuminatis, submucronatis, glabris, venis senis vel septenis tenuibus subpatulis, petiolis tenere puberulis, floribus ex tuberulo exili bracteato axillari fasciculatis, calycis lobis obtusis.

Herb. KAPPL. n^o. 303.

Frutex? ramuli rigidi, digitales vel spithamei, basi, ubi e ramo alterni egrediuntur, stipulis triangularibus coriaceis binis ternisve suffulti, laeves, glabri, fusculi? *Folia* alterna disticha, supra saturate viridia, nitida, subtus pallidiora, e basi acuta elliptica, sursum inde a medio angustata, venis patulis praesertim versus basin distinctioribus, 2—3 poll. longa, $\frac{1}{2}$ —1 poll. lata, petiolis 1 lin. circiter longis. *Stipulae* lanceolatae, parvae, deciduae. *Pedicelli* 5—12-fasciculati, tenses, glabri, $1\frac{1}{2}$ —2 lin. longi. *Flores* tantum masculinos vidi. *Alabastra* elliptica. *Calyx* 6-partibus, laciniis elliptico-lanceolatis obtusis, basi leviter coarctatis, intus, ubi in tubum coeunt, aliquatenus incrassatis. *Androphorum* breve, angulatum, apice *antheras* tres ellipticas discreto-biloculares gerens.

TAB. XXXI. A. Ramus cum ramulis florentibus, nat. magnitudine.
a. alabastrum; b. flos masculus apertus; c. stamina, auct. magn.

2. *Phyllanthus guianensis* (KLOTZSCH in *Lond. Journ. of Bot.* 1843. p. 51), fruticulosus, simplex vel parce ramosus, foliis brevissime petiolatis, alternis, ellipticis (parvis) utrinque acutis, submucronatis, glabris, aequilateris, superne subimbricatis, floribus axillaribus, brevissime pedicellatis, soli-

tariis vel subternis, calycibus sexpartitis, flore femineo unico, stigmatibus tribus sessilibus bifidis.

In arenosis ad fluminis ripas, prope *Bergendaal* (Focke).

Specimina mea, quae icone expressa sunt, digitum majorem longa, *radice* crassiuscula, lignosa, ramosa; *rami* breves suberecti, rigidi, parce ramosi, angulato-compressiusculi, subglabri vel glabri. *Folia* subpinnatim disposita, brevissime petiolata, vel superiora subsessilia, lanceolato-elliptica vel elliptica, aequilatera, subtus subglaucescenti-pallida, venis vix manifestis, $1\frac{1}{2}$ —4, vulgo 3 lin. longa. *Stipulae* lanceolatae, scariosae, glabrae, caducae. *Flores* axillares ex tuberculo exilissimo scariose bracteato, solitarii, gemini vel superne terni, uno femineo, 2 masculis, quam brevissime pedicellati. *Calycis* sexpartiti lobi lineari-lanceolati, acuti. *Fl. fem. ovarium* triloculare, *stigmatibus* radii breves obtusiusculi; *masc. stamina* 3, *filamentis* connatis, brevibus. *Capsula* depresso-globosa, loculicide et septicide dehiscens. — *Specimen* SCHOMB. e *Guiana anglica* ramosum, altius, frutescens, alioquin haud diversum.

TAB. XXXI. B. Planta integra, florens et fructifera, naturali magnitudine.
a. folium; *b.* stipulae; *c.* flos masc.; *d.* androeceum; *e. f.* capsula submatura; *g.* semen; figurae auct. magnitudine.

Formam hujus stirpis singularem in uliginosis prope *Bergendaal*, Majo florentem et fructiferam, legit cl. Focke. Plantae scil. herbaceae $\frac{1}{3}$ —1 ped. altae, e radice tenui fibrosa, simplices, annuae, a basi foliatae; folia inferiora remotiuscula, lato-elliptica, $2\frac{1}{2}$ -fere 4 lin. longa, superiora densiora, minora, angustiora, brevi-mucronata; caulis subcompressus; e singulo folio scilicet margo elevatus decurrit.



M A L V A C E A E.

S I D A, LINN. — CAV.

1. *Sida angustissima* (n. sp.), tota hirtella, foliis breviter petiolatis, e basi rotundata longe linearibus, angustissimis, integerrimis, pilis sparsis super nervos et secus margines densioribus subappressis longis, racemis terminalibus longe pedunculatis abbreviatis, pedicellis medio articulatis, infra articulationem subglabris, supra eam calyceque dense appresse hirtis, petalis calyce duplo longioribus, obovatis, emarginatis, flavidis.

Secus *flumen Marrowyne*, m. Augusto florentem, legit KAPPLER (n. 1877) et in *distr. Onoribo* cl. FOCKE.

Proxima *Sidae linifoliae*, CAV., cujus formam in schedula citata dixi; CAVANILLES, *Diss.* 1. p. 14 eam jam indicavit et cl. ST. HILAIRE nuper in *Flora Bras. merid.* Tom. 1. p. 181 tanquam *var. angustifoliam* accuratius distinxit. Speciminibus numerosis nunc examinatis, propriam speciem habeo, a *S. linifolia*, CAV. foliis multo angustioribus et longioribus, pedicellis brevioribus, floribus minoribus, pube sparsiore diversam. Proxima certe huic est *Sida viminea*, FISCH., cujus vero folia lanceolata sunt.

Petioli 1—1½ lin. longi. *Stipulae* anguste lineares, petiolum superantes vel aequantes. *Folia* 1—4 poll. longa, 1—1½ lin. lata, acuta, subtus pallidiora. *Pili* simplices e basi tumidula; in caule tantum hic illic aliquot stellati exiles pili illis intermixti. *Inflorescentia* densius pubescens, pauciflora. *Pedicelli* 2—3 lin. longi. *Calyx* 1½ lin., lobis elliptico-lanceolatis. *Corolla* 3 lin., aequans. Genitalia calycis longitudine.

CARYOPHYLEAE.

POLYCARPAEA, LAM.

1. *Polycarpaea brasiliensis* (CAMB. in ST. HIL. *Fl. Bras. merid.* Tom. 2. p. 183), caule erecto, puberulo, foliis lineari-subulatis, margine subtus revolutis, mucronatis, puberulis, cymis corymbiformibus; foliolis calycinis acutissimis puberulis, petalis ovato-orbicularibus, calyce dimidio brevioribus. CAMB.

Speciem brasiliensem, in *Prov. St. Pauli* lectam, a stirpe surinamensi, quam *P. atherophorae* nomine in *Flora Ratisb.* 1843. p. 763. proposuit cl. STEUDEL, haud differre, non dubito. Species admodum variabilis. Quam in Surinami locis arenosis HOSTMANN et KAPPLER legerunt, praesertim ad *var. ramosissimam*, a cl. CAMBESSEDES descriptam, referenda est et a forma typica calyce triplo longiore quam corolla et fere glabro, nec non foliis angustioribus abludit.

CUCURBITACEAE.

ANGURIA, LINN.

1. *Anguria subumbellata* (n. sp.), ramulis foliisque utrinque pubescentibus, foliis ovatis cordatis trilobis, sinu baseos juxta petiolum triangulariter protracto, lobis ovatis breviter acutissime acuminatis, remote minute denticulatis, floribus (masc.) subumbellato-fasciculatis, pedunculo communi pubescente, pedicellis calyceque dense hirtellis.

Herb. HOSTM. et KAPPL. n.º. 1727. Specimen parum completum, ad speciem autem constituendam sufficiens. — *Caulis* acute angulatus, glabriusculus. *Petioli* glabrescentes, 4-pollicares. *Folia* $6\frac{1}{2}$ —5 poll. longa, 6 — $4\frac{1}{2}$ lata, in sicco membranacea, juniora dense pubescentia, sensim glabrescentia, pube subtus diutius persistente, trinervia, nervis 2 extimis productionem basilarem in sinu folii marginantibus, in lamina bis furcatis; lobi, (quorum medius paulo longior, laterales extrorsum ad basin dilatati), sinubus angustis, sed obtusis, discriminati, denticulis marginum remotis exilibus teretiusculis. *Pedunculus communis* septempollicaris; *pedicelli* circiter 20 ex ejus apice, aequilongi, semipollicares. *Calycis* lobi lanceolati, acuti, hirti.

Annotatio. *Luffa aegyptiaca*, MILL. (Momordica Luffa, L.), quae in Surinamo culta ac efferata occurrit, vix eadem esse videtur ac genuina aegyptiaca illa, jam in ALPINI *de pl. Aeg. libro* icone expressa (conf. LINNAEA Tom. 18. p. 366). Foliorum enim discrimen, quod eo loco indicavi, constans omnino esse videtur. Anne species indescrupta, ex Africae regionibus orientalibus cum Nigritis in Novum Orbem translata, cum *scabra*, SCHUM., comparanda?

Melothria pendula, LINN. — MEY. *Esseq.* p. 279, in PLUMIERI *iconibus* (ed. BURM.) Tab. 66. fig. 2, bene delineata exstat. LINNAEUS in *Syst. Veg.* primo solam hanc figuram citabat, itaque proprie stirpem occidentali-indicam in mente habuisse videtur. Postea eadem stirps in *Carolina, Florida* rel. detecta est. Minime vero nunc *M. pendulam* L. ad stirpem boreali-americanam restringere oportet, uti fecit cl. ROEMER (*Synop. Monogr. Peponiferae* p. 27). Americae centrali et insulis Indiae occidentalis praesertim propria esse videtur. Forma pro stationum varia indole aliquomodo ludit; folia vel majora, magis ovata, distinctius denticulata, vel contractiora, magis rotundata minusque denticulata. Quae in *Herb. HOSTM. sub n. 112* occurrit, exacte figuram Plumierianam refert; amic. FOCKE vero misit specimina foliis minoribus et rotundatioribus insignia, alioquin autem plane conformia. Caveamus itaque ne omnia Americae centralis specimina a borealioribus diversa autumemur! Cum *M. fluminensi*, GARDN., cui

folia ciliata disertis verbis tribuuntur, nequaquam conjungi possunt, — nec ad hanc speciem Gardnerianam referre oportet *M. pendulam*, *Flor. Flum.* Tom. 1. Tab. 69, quae cum plerisque *M. pendulae genuinae* speciminibus optime congruit.

S A U V A G E S I A E.

S A U V A G E S I A, LINN.

1. *Sauvagesia Kappleri* (n. sp.), fruticulosa, erecta, ramosa, foliis densis, patentibus, parvis, lanceolatis acutis, marginatis, remote appresse serrulatis, subtus pallidis, in petiolum brevissimum latum constrictis, stipulis filiformiter pectinatifidis, floribus fasciculato-vel simpliciter racemosis, sepalis inaequalibus acuminatis, serius apice emarcido acutis vel obtusiusculis erosulisque, petalis roseis obovato-rotundatis calycem aliquid superantibus, filis purpureis subspathulatis obtusis numerosis, petalis internis basi purpureis.

Locis arenosis savanae prope plantationem l'*Inquiétude*, m. Septembri detexit cl. FOCKE; in *Herb. KAPPL.* sub n^o. 650^a adest, ubi nomen olim dedi.

Planta elegans, habitu aliquomodo variabilis, spithamea vel fere pedalis, cum *S. Sprengelii* haud confundenda. *Caules* purpureo-fuscescentes striulati, aut toti aut basi aut apice tantum ramosi, rarissime simplices. *Folia* satis conferta, aliquando fere imbricata, majora fere 3 lin. longa, 1 fere in medio lata, minora plerumque 2 longa, $\frac{1}{2}$ — $\frac{2}{3}$ lata, utrinque nitidula, serraturis remotis, denticulos fuscus exiles, crenis insertos, referentibus. *Stipulae* folio breviores, appressae, tenuissime divisae, divisuris superioribus majoribus. *Racemorum axis* pallide viridis vel fuscus, rectus vel flexuosus, *floribus* solitariis

vel fasciculatis. *Sepala* vulgo manifesto mucronata, pallida, exteriora breviora, marginibus scariosa, majora circiter 1 lin. longa vel quidquam longiora. *Petala* in sicco pallide rosea; *fila* biserialia atro-purpurea.

Adnotatio. Plura hujus speciei specimina satis referunt iconem *S. erectae*, AUBL. I. Tab. 100. fig. *b.* (*S. Sprengelii*, ST. HIL.).



C R U C I F E R A E.

LEPIDIDIUM, LINN. (R. BR.). — *Sect. Dileptium*, DC.

1. *Lepidium micropterum* (n. sp.), puberulentum, foliis inferioribus longe petiolatis, lanceolato-ellipticis acutis, basi cuneatis, dentato-serratis, superioribus subsessilibus, linearibus, serrulatis, pilis paucis longiusculis secus margines nervumque, racemis terminalibus cum pedicellis patentibus puberulis, sepalis lanceolatis puberulis petala lanceolato-linearia acuta fere aequantibus, quam ovarium staminaque quatuor aequilonga brevioribus, siliculis orbiculatis emarginatis, valvis apice breviter carinato-alulatis pedicellum superantibus.

Prope *Paramaribo* cl. FOCKE invenit. *L. virginico* proxime affine videtur, petalis vero haud obovatis seminibusque dimidiato-ellipticis compressis diversum, a plerisque reliquis in Novo Orbe obviis, *L. bonariensi*, LINN. (*L. ruderalis* var.?), *L. pubescenti*, DESV. foliatura statim distingui potest.

Caulis e radice simpliciuscula flexuosa perpendiculari, 1—2-pedalis. *Folia* inf. 1½ poll. longa, petiolo breviora; sequentia brevius petiolata magis lanceolata; summa fere sessilia, remote serrata. *Flores* parvi. *Antherae* ovaes. *Stylus* brevissimus; *stigma* plano-capitellatum. *Siliculae* ⅔ lin. longae, leviter emarginatae, glabrae, stylo in sinu persistente. *Funiculi seminibus* fuscis paulo breviores. *Dissepimentum* elliptico-lineare.

TAB. XXXII. Planta integra, nat. magnitudine.

a. flos; *b.* petalum; *c.* stamina; *d.* silicula fere matura; *e.* ejusdem dehiscens pars; figurae vario gradu auctae.

D I L L E N I A C E A E.

TETRACERA, LINN.

1. *Tetracera surinamensis* (MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 265), foliis ellipticis utrinque obtusissimis, basi hinc leviter emarginatis, integerrimis, crustaceo-coriaceis, valide costatis, subtus cum petiolis, ramis sepalsisque asperrimis, supra asperulis vel laevibus, racemis axillaribus terminalibusque paniculatis, sepals valde inaequalibus, pistillis quatuor, ovariis dorso pilosis, stigmatibus oblique peltato-suborbicularibus. *Davilla flexuosa*, SPLITG. in *Nederl. Kruidk. Archief* Tom. 1. p. 256, haud ST. HIL. *Flor. Bras. mer.* Tom. 1. p. 15. Tab. 2.

Arbuscula sylvestris albiflora, l. c. a me fuse descripta.

TAB. XXXIII. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. alabastrum; *b.* calyx apertus a dorso; *c.* petala; *d.* genitalia; *e.* stamen; *f.* gynoeceum; *g.* pistillum a dorso et a ventre; figg. vario gradu auctae.

Adnotatio. Hujus generis plures species, foliorum forma et vestitu variabiles, sexu separato etiam ludentes, accuratius recognoscendae videntur, v. c. *T. ovalifolia*, *rotundata*, *asperula*, quae omnes *T. surinamensi* propinquae sunt.

D E L I M A, LINN.

1. *Delima dasyphylla* (MIQ. in *sched. Kappl.*), foliis ovato-vel oblon-

go-ellipticis cuspidato-acuminatis, majoribus basi rotundatis, minoribus acutis, deorsum integerrimis, sursum remote spinose serratis, coriaceis, supra glabris, subtus 12^{no}—16^{no}-costatis sparseque villosis, utrinque laevibus, floribus ex axillis foliatis et defoliatis, fasciculato-aggregatis, pedunculis simplicibus vel bifidis, hirtellis, sepalis quinque membranaceis subaequalibus pubescentibus, petalis (tribus?) caducis, ovario glabro, stigmate peltato. *Tetracera cuspidata*, MEY. *Esseq.* p. 205. *Doliocarpus semidentatus*, GARCKE in *Linnaea* Tom. 20. p. 48. Huc etiam KAPPL. *Herb.* n^o. 701^a.

Arbuscula ut videtur haud rara, *Tigareae dentatae*, AUBL. Tom. 2. p. 920. Tab. 351 (*Tetracera tomentosa*, WILLD.) simillima.

β. *forma angustifolia*, foliis lanceolato-oblongis paulo minoribus. HOSTM. *Herb.* n^o. 707.



A N O N A C E A E.

R O L L I N I A, ST. HILL.

1. *Rollinia glaucescens* (n. sp.), ramulis, petiolis, foliisque nascentibus supra, pilis fugacibus inspersis, foliis pergamaceis, e basi rotundata anguste oblongis acutis vel obtusiusculis, supra nitidis, subtus glaucescenti-pallidis, costa fusca prominente, venis subobsoletis patulis circiter 12^{nis}, pilis sparsis reverso-appressissimis super parenchyma inspersis, pedunculis lateralibus vulgo bifloris, pedicellis supra basin bracteolatam articulatis fulvo-pubescentibus, medio unibracteolatis, petalis obovato-oblongis, obtusis, basi haud constrictis, pallide ochraceo-tomentellis, divergentibus, carpidiis immaturis pubescentibus.

Arbusculam in *via ad Wanica*, m. Septembri florentem, legit cl. FOCKE,

Characteres differentiales inter hanc pluresque affines haud facile extricandi. *R. multiflora*, SPLITG., foliis membranaceis majoribus latioribus, *R. puberula*, A. DC. *Mém. Soc. Genève*. 5. p. 200. Tab. 1, pedunculis simplicibus, sepalis acutis nec anguste apiculatis, foliis ovalibus, *R. Sieberi*, EJ. *l. c.* Tab. 2 B., pedunculis simplicibus, *R. orthopetala*, EJ. *l. c.* petalis erectis distinguendae. Affinis etiam est *R. salicifolia*, SCHLTD. in *Linnaea* Tom. 9. p. 317. MART. et ENDL. *Flor. Bras.* fasc. 2. p. 21, quae corollae alarum forma tamen satis differe videtur.

Ramuli biennes cylindrici, fusculi, rugulosi, lenticellis parvis albidis verruculosis, *juniores* flexuosi, parumper compressi, nascentes teneris pilis inspersi. *Petioli* in siccis atrofusci, a lateribus compressi, antice sulcati, mox cum nervo medio glabri, 2—3, raro fere 4 lin. longi. *Folia* fere lanceata, basi rotundata, sursum haud multum angustata, alia, praesertim juniora et superiora valde, fere mucronatim, acuta, inferiora plerumque obtusiuscula, apice scil. sphacelata, majora 5 poll. longa et longiora, 1½-plerumque fere 2 lata, alia duplo minora, supra pallide viridia, nervo medio sulcato venisque prominulis, quae in pagina inferiore pallida colore pallidiore distinctae. *Pedicelli* in *pedunculo* brevi glabrato geminati, vulgo basi articulata bracteolati, ½—1 poll. longi, *bracteola* lanceato-triangulari ciliolata canescenti appressa instructi. *Sepala* lato-ovata anguste acuminata, parva, basi concava reflexa, acumine arrecto, in fructu decidua. *Petalorum alae* fere 4 lin. longae. *Syn carpium* immaturum globosum, *pedunculo* glabrescenti et superne incrassato sustentum, dense pubescens, echinulatum (stylis).

Forma foliis minoribus oblongis, in HOSTM. *Herb.* sub n°. 967 exstat, cui admodum similis est forma parvifolia *Rolliniae multiflorae*, SPLITG., ejusdem herbarii n°. 498.



A M P E L I D E A E.

C I S S U S, LINN.

1. *Cissus elongata* (n. sp.), ramulis tetragonis, adultis glabris striatis, foliis ternatis, foliolis lanceolato-oblongis acutis remote sinuato-dentato-serratis, serraturis aetate delinquentibus, subcoriaceis, pellucido-punctatis, utrinque parcissime hirtellis, glabrescentibus, venis quinque ascendentibus, medio petiolulato basi aequali cuneato, lateralibus sessilibus basi inaequali obtusiusculis, inflorescentia axillari longe pedunculata, apice condensato-cymosa, hirtella, calyce lato repande quadri-denticulato glabro.

Herb. HOSTM. n. 1301. *Petiolus communis* 8—10 lin. longus, antice canaliculatus et submarginatus, vulgo fere glaber. *Foliolum medium* 4-fere 6 poll. longum, $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ latum; *lateralia* 3— $4\frac{1}{2}$ longa, inaequilatera, omnia supra in venis rarissimis brevibusque pilis dispersa, subtus in venis, hic nunc fuscescentibus, pilis adhuc rarioribus, sed longioribus, instructa. *Inflorescentia*, 4-pollicari *pedunculo* suffulta, apice, hinc infra eum etiam, cymoso-dichotoma, hirtella. *Bracteae* scariosae, deciduae. *Pedicelli* dense hirti. *Flores* parvi glabri, ut videtur polygami.

Observatio. *Cissi species trifoliolatae americanae* nondum satis accurate definitae esse videntur ut tuto a se invicem queant distingui. Probabiliter plures sub *Cisso trifoliato*, LINN. confundebantur. — Crescunt autem plures ex his in regionibus Surinamensibus, quarum una, adhuc brevibus indicata, haud rara ut videtur, in districto *Para* a cl. FOCKE et KAPPLER lecta est, quam pro *Cisso erosa*, RICH. *Act. Societ. Hist. nat. Paris.* 1. p. 106, habeo, cujusque synonymis *C. lucida*, POIRET. *Suppl. Encycl. méth.* Tom. 1. p. 106 et *C. quadrialata*, H. B. K., adscribendae videntur, quaeque forsitan eadem est quam LINNAEUS in *Diss. de pl.*

Surin. tanquam *C. trifoliatam* enumerabat. *Ramulos* habet tetragonos, quadri-alulatos, glandulosos, glabros, *folia* ternata, *petiolum communem* marginatum, *foliola* brevissime petiolulata, membranacea, pellucido-punctata, crenato-serrata, serraturis appresso-incurvis mucronatis puberulis, *medium* oblongo-vel lato-ellipticum obtusum vel obtusiusculum, basi cuneata integerrimum, *lateralia* subsessilia minora, subdimidiato-inaequilatera, *cy-mam* longe pedunculatam, *pedurculis pedicellisque* villosulis. — Foliolorum serraturae variant; hae scil. juveniles appressissimae mucronatae pilosae foliolum quasi sistunt erosum; senescentium mucronibus delinquescentibus margo latiuscule crenatus adparet. — A *Cisso alata*, JACQ., et *C. pubescenti*, H. B. K., haec differt glabritie, a *C. trifoliata*, JACQ., foliolis haud serrato-incisis majoribusque. Proxime affinis videtur *C. microcarpa*, VAHL. — Glandulae caulium, a POIRETIO dictae, verrucae rectius forsan dicentur.

M Y R S I N E A E.

C O N O M O R P H A, ALPH. DC.

§ 1. *Euconomorpha*. Filamenta basi in tubum denticulatum, corollae adnatum, coalita.

Spec. 1—4 apud DC. *Prodr.* Tom. 8. p. 113.

§ 2. *Conomorphida*. Filamenta corollae mediae inserta, inter se non connata. — Forte genus proprium, corolla praefforatione valvata a *Cybiantho* diversum.

Spec. 5 apud DC. *l. c.* et sequens.

1. *Conomorpha multipunctata* (Miq.), foliis obovato-oblongis vel obverse lanceolatis, basi cuneatis, apice abrupte breviter acuminatis, subcoriaceis,

utrinque creberrime glandulose punctatis, venis immersis, racemis aggregatis cum ramulis densissime furfuraceo-glandulosis, folii $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ aequantibus, pedicellis alternis, bractea lineari brevioribus, calyce corollaque glandulosis, antheris subsagittatis.

In Surinamo KAPPLER detexit (n^o. 1729).

Haec probabiliter eadem stirps est, quam secundum specimen fructiferum *Cybianthi? multipunctati* nomine cl. A. DC. *l. c.* p. 117 proposuit. *Conomorphae* generi magis affinem esse, jam olim monui. Nunc huic generi adscribo, praesertim propter corollae lobos valvatos. Stamina filamentis inter se haud connatis et haec et *C. laxiflora*, DC., a reliquis recedunt.

Ramuli glandulis (fuscis) nitidulis confertissimis quasi lepidoto-asperuli. *Petiolii* 1—2 lin. longi, semitereti-trigoni, antice concavati, ut ramuli glandulosi. *Folia* 3—3 $\frac{3}{4}$ poll. longa, 8—9 lin. supra medium lata, coriacea, supra tenere multipunctata et costa anguste sulcata, subtus hac prominente, pertensa, glandulisque fortioribus sed fere rarioribus ac in pagina sup. inspersa. *Racemi* fere ■ basi inde florentes, 1-fere 2 poll. longi, laxiusculi. *Flores* circiter semilineam longi, *pedicellis* $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ lin. longis. *Bracteae* lineares, glandulosae. *Calyx* semigloboso-cupuliformis ad medium circiter 4-lobri lobus, lobis patentibus triangulari-acutis, glandulosis. *Corolla* calyce ter quaterve longior, carnosae, glandulis longiusculis sparsis maculata, in alabastro subglobosa, ad $\frac{1}{2}$ long. 4-fida, lobis erectis valvatis acutis. *Stamina* mediae corollae inserta, inclusa; *filamenta antheris* ovato-subsagittatis recurvulis subbreviora. *Ovarium* ellipticum.

TAB. XXXIV. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. flos; b. calyx cum pistillo; c. corolla aperta; d. stamina; figurae auctae.



LENTIBULARIEAE.

UTRICULARIA, LINN.

Sect. Megacista, DC. *Prodr.* Tom. 8. p. 3.

1. *Utricularia inflata* (WALT. *Flor. Carol.* p. 64). — *U. ceratophylla*, MICHX *Flor. Amer. bor.* Tom. 1. p. 12. *Akentra inflata*, BENJAM. in *Linnaea* Tom. 20. p. 319.

Planta late per Americam calidiorem diffusa. In meis speciminibus HOSTM. video corollae labium inf. breve, calcar conicum obtusum, labio longius.

Sect. Lentibularia, DC. *l. c.* p. 4. (Nuda BENJ. *l. c.* p. 300).

2. *Utricularia Fockeana* (n. sp.), foliis alternis radiciformibus capillaceo-multipartitis utriculiferis, scapis brevibus nudis 2—5-floris, bracteis basifixis amplectentibus oblongo-ovatis obtusiusculis, pedicellis longiusculis, sepalis ovatis obtusis subaequalibus, enerviis, postico demum subemarginato, corollae roseae labio superiore subrotundato truncato-emarginato subgaleato, inferiore lato-rotundato truncato-retuso quam calcar conicum acutiusculum adpressum paulum brevius.

In solo limoso decumbentem invenit cl. FOCKE.

Species pusilla, elegans, solae *U. Salzmanni*, ST. HIL., affinis. *Caulis* limo infixus, horizontalis, foliosus. *Folia* densa, circumscriptione subrotunda, in *segmenta* capillacea, sed haud densa, partita, tota vix semipollicem longa, *utriculis* subglobosis, minutis. *Scapi* 1—2½ poll. alti, erecti, vel a medio vel a basi fere floriferi, *floribus* distantibus, *pedicellis* semipollicaribus. *Corolla* rosea, *labio inferiore* quam *superius* paulo latiore, ima basi constricto, angulis externis obtuse producto, latiore quam longiore, marginibus pal-

lidiore. *Corolla* expansa 1 lin. paulo superans. *Capsula* immatura ovata, *stylo* brevi rostellata.

TAB. XL. B. Pars stirpis florentis, nat. magn., sec. vivum a cl. FOCKE delineata. *a.* flos a latere; *b.* antice; *c.* a dorso, auct. magnitudine.



SCROPHULARINEAE.

SCHWENKIA, LINN.

1. *Schwenkia guianensis* (BENTH. in DC. *Prod.* Tom. 11. p. 195).

In savanis arenosis prope *Blaauweberg* cl. FOCKE legit. Probabiliter huc etiam *S. americana*, SPLITG., vix LINNAEI, quam beatus amicus in Surinamo sup. legit. (*Ned. Kruidk. Archief* Tom. 1. p. 332).

Radix parva ramoso-fasciculata. *Caules* ex una radice plures vel primarius brevis cito in *ramos* pedales bipedalesve, inferne foliosos, superne aphyllous, graciles apiceque gracilem laxamque inflorescentiam ferentes, divisus. *Rami* pennam passerinam vel corvinam crassi, puberuli, cito glabrescentes. *Folia* breviter petiolata, inferiora oblonga, superiora continuo angustiora, mox lanceolata, denique linearia, depauperata, superne fere deficientia, semipollinaria, vix unquam pollicem aequantia, acuta, membranacea, utrinque puberula, ex axillis fere omnia foliifera. *Paniculae* palmares vel spithameae, subpyramidatae, laxae, praeter *bracteas* ovatas acutas parvas pubescentes, glabrae; *rami primarii* alterni, 6—10, ipsi racemosi 3—6-flori. *Pedicelli* 2—5 raro 1 lin. longi, supra medium articulati; pars superior (*pedicellus* propriè) cum capsula matura tabescit et cadit. *Calyx* cylindrico-campanulatus, fere 1 lin. longus, 10-nervius, *dentibus* 5 tubo ter quaterve brevioribus, subfortiore lente raris pilis inspersus, maturus glaberrimus. *Corolla* 3½ lin. longa, *limbi dentibus* 5, quatuor majoribus (quorum 2 aliquantulum sed vix manifesto longiores), *sinus* productos inaequaliter triangulari-acutos sub-

denticulato-ciliatos, superantibus, uno brevior, omnibus clavatis. *Stamina* fertilia inclusa, filamentaque 2 sterilia brevia basi praesertim pilosa. *Stylus* exsertus, *stigmat*e plano-capitellato. *Capsula* ellipsoidea, calycem duplo superans, semibivalvis, septifraga, *valvis* integris, raro bifidis. *Dissepimentum* stipitatum liberum planum orbiculare. *Discus* hypogynus parvus. *Semina* angulata subcubica, angulis praesertim scabra, fusca. *Embryo* nondum maturus.

TAB. XXXV. Planta florens et fructifera, nat. magnitudine.

a. flos; *b.* apex corollae subclausae a latere; *c.* stamina et pistillum; *d.* anthera; *e.* stigma; *f.* capsula; *g.* eadem dehiscens; *h.* dissepimentum cum seminibus; *i.* iis dejectis (quando verruculae, semen fulciantes, placentares, in conspectum veniunt; *j.* semen a vertice; *k.* a basi. — Figurae vario gradu auctae.

Observatio. Stirps, quam nunc sub nomine Benthamiano proposui, cum ejus phrasi congruit, exceptis dentibus claviformibus, quorum »duo superiores sinus lanceolatos subaequantes, inferiores iis breviores” statuuntur, dum contra quatuor fere aequilongi sinus triangulares multum superant, quintus paullo brevior sinum fere aequat. Sic video in speciminibus Fockeanis et in Hostmanniano (nº. 1114) a cl. BENTHAM laudato. Multis numeris itaque ad *S. americanam*, LINN., accedit, in qua dentium claviformium longitudo variabilis admodum esse videtur, sinus vero lato-rotundati. Pedicelli longitudine ita variant ut vel calycem multoties superent vel eo breviores offendantur. — Num itaque haec species potius forma vel varietas *S. americanae*?



G E S N E R I A C E A E.

Subordo CRESCENTIEAE, MIQ. (*Bot. Zeit.* 1844. p. 806).

SCHLEGELIA, MIQ. l. c. p. 788.

Calyx campanulato-cyathiformis, ore breviter bilabiato, mox truncato, coloratus, persistens. *Corolla* hypogyna hypocraterimorpha subobliqua, limbo quinquelobo subaequali patente. *Stamina* imo corollae tubo dilatato inserta, quatuor didynama cum quinti rudimento ananthero. *Antherarum* loculi sejuncti penduli lineares. *Stylus* stamina aequans, *stigmatibus* brevibilamellato. *Discus hypogynus* nullus. *Ovarium* ellipsoideum, *semisepto* ex utroque latere porrecto faciebusque prope marginem internum ovulifero, incomplete biloculare. *Ovula* pluriserialia anatropa, placentis disciformibus inserta. *Capsula* baccata ovalis, unilocularis, semiseptis angustis seminiferis, polysperma. *Semina* aptera. — *Frutices guianenses*, scandentes, radicantes, pseudoparasitici? ramis laevibus, *foliis* oppositis crassis integerrimis, *thyrsis* terminalibus, *floribus* lilacinis.

1. *Schlegelia lilacina* (MIQ. l. c.), foliis lato-ovatis.

In fruticetis secus ripas fluminis *Cottica superioris*, m. Octobri cum floribus et fructu immaturo legit cl. FOCKE. In sylvis prope *Oudereiweg*, m. Sept. florentem, subvolubilem, legit KEGEL (nº. 678b).

Frutex super arborum truncos radicans. *Rami* vetustiores subcylindrici, superiores subtetragoni, hinc subcompressi, *cortice* laevi pallido, tenaci. *Radicellae* e nodis et internodiis, rectae, breves, laeves, cinereae, subsimplices. *Folia* opposita, decussata, *petiolis* crassis subsemiteretibus, antice sulcatis,

transverse rimosis, vulgo curvatis, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{3}$ lin. longis, cicatricem semiorbicularem, pulvinari elevato insidentem, relinquentibus, sustenta, crasse et rigide coriacea, utrinque glabra, supra nitida, subtus pallidiora, lato-vel elliptico-ovata, basi rotundata, apice breviter suboblique acuta, integerrima, marginibus revoluta, $3\frac{1}{2}$ - fere 4 poll. longa, $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{3}$, fere $2\frac{1}{2}$ lata, summa elliptica, obtusa, minora, costa valida subtus prominente, venis costalibus patulis vel patulo-adscendentibus, senis vel septenis, cum anastomosibus reticulatis prominulis. In axilla foliorum *gemma* sterilis, cauli appressa, e duobus foliis oppositis linearibus puberulis rectis canaliculatis, stipulas axillares referentibus. *Thyrus* paniculaeformis, 5-pollicaris, elongatus, terminalis, totus e cymis oppositis quasi conflatus, centripetus; axis tetragonus, succosus, cum ramis brevibus cymose trifidis, bifidis vel simplicibus atque *bracteis bracteolisque* exilibus lineari-lanceolatis caducis, puberulus, glabrescens. *Pedicelli* $1\frac{1}{3}$ —3 lin. longi. *Alabastra* $1\frac{1}{2}$ lin. paullo longiora, nascentia submucronulata, calyce toto clauso pulverulento-pubescente constituta. *Calyx* dein magis elongatus, coloratus, teste KEGEL roseus, campanulato-cylindricus, ore finditur in duo *labia* brevia, *anticum* et *posticum*, integerrima vel aetate irregulariter denticulata (postico aliquando bi- antico tri-denticulato), sub ipsa anthesi cyathiformis vel suburceolatus, 2— $2\frac{1}{2}$ lin. longus, post anthesin ore sensim truncatus, demum integerrimus, cum fructu increscens, ejus partem circiter dimidiam inferiorem arctissime includens, nequaquam tamen cum eo coalitus, fructum quasi semisuperum efficiens. *Corollae lilacinae* (Focke), *roseae* (Kegel), *tubus* cylindraceus, leviter obliquus vel fere rectus, calyce fere duplo longior, supra basin levissime subcoarctatus, $3\frac{1}{3}$ lin. longus, calyce paullo angustior, *limbus* quinquepartitus, *lobis* in alabastro fere quincuncialiter imbricatis, *postico* laterali axin spectante, *extimo* plane imbricante, *antico* intimo et omnino incluso faucemque claudente, sub anthesi patentibus vel reflexis, elliptico-obovatis obtusis, magnitudine vix diversis, obscure saltem limbum bilabiatum efficientibus, junioribus tenerrime ciliolatis, tubum dimidium circiter aequantibus. *Stamina* 4 didynama fertilia cum quinti sterifis rudimento, paulo supra basin tubo corollae inserta, 2 vix majora antica, 2 lateralia, *sterile* posticum; *filamenta* compressa, basi parumper incrassata, ibique, imâ exceptâ, ad margines pilis albis sub lente compressis continuis instructa, sursum attenuata, leviter curvata, glabra, antica ad $\frac{2}{3}$ tubi corollini altitudinis pertinentia, *lateralia* vix breviora; *antherarum loculi* sejuncti, lineares, ex apice filamentum penduli ibique cohaerentes, rima longitudinali dehiscentes. *Filamentum quintum* reliquis brevius, teretiusculum acutum, absque ullo antherae vestigio. *Stylus* in alabastro leviter incurvus, demum rectus glaber, fere bi-trilinearis, vix calycem excedens, ex ovarii apice abrupte egressus, apice

subdilatus, bilamellatus, *lobis* oblongis crassiusculis undulatis, plicatis, demumque reflexis, anticam et posticam floris partem spectantibus. *Ovarium* nullo disco sustentum, ellipsoideum, subangulatum, glabrum, 1 lin. brevius, pericarpio crassiusculo, spurie biloculare, semiseptis scil. ex utroque latere (dextro et sinistro ab axi) usque in mediam cavitationem porrectis et contiguis, sed haud connatis, in vertice cavitationis diminutis (unde ovarium ibi uniloculare); eorum utraque facies, ad $\frac{1}{2}$ alt., prope marginem internum, e *placenta* orbiculari plana adnata sed textura ab ipsius semisepti compage distinctissima, ovulifera, *ovulis* plurimis, irregulariter pluriseriatis, horizontalibus, anatropis, obovatis, *funiculis* brevissimis. *Ovario* foecundato increcente, semiseptis magnitudine haud adauctis, haec a se invicem removentur et a placentarum auctarum seminumque acervis fere tecta, placentas parietales in fructu uniloculari exhibent. *Capsula* immatura *baccata*, *pedicello* sursum incrassato sustentata, $\frac{1}{2}$ vel fere tota calyce truncato inclusa, 3 lin. circiter longa, *pericarpio* nunc coriaceo crasso (demum carnosio), *epicarpio* laevigato, nullo sulco vel linea elevata notato, colorato, *endocarpio* tenui, unilocularis, semiseptis super facies in media altitudine seminiferis, acie canaliculatis nudis, sursum multum angustatis, ibique longitrorsum bifidulis. *Semina* valde immatura horizontalia, densa, oblonga, compressa, marginibus extenuata, *hylo* concavo oblongo.

2. *Schlegelia elongata* (Miq. in *Linnaea* Tom. 22. p. 73), foliis oblongis vel lanceolato-oblongis, utrinque acutis, vel basi obtusiusculis.

In candicibus Palmarum prope plant. *Kwatta*, n. Jan. legit KEGEL (n. 678^a) et in *Surinamo interiore* cl. FOCKE etiam detexit.

Habitus foliis majoribus, magis elongatis et pro longitudine angustioribus, huic stirpi singularis, specifici valoris habendus, si constans in ipso loco natali offendatur; caulium et foliorum textura autem nec non florum fabrica ab omni parte cum *S. lilacina* adeo congruit, ut eodem fere jure ejus lusus vel varietas haberi posset.

Rami adultiores subcylindrici, ligno molli crebro radiato, haud concentricè zonato, canali medullari cylindraco, cortice griseo lenticelloso. *Folia* opposita, rarissime summa subopposita, *petiolis* crassis cylindracois, a lateribus leviter compressis, antice anguste sulcatis, transverse rimosis, 4—2 lin. longis, sustentata, rigide coriacea, oblonga, vulgo utrinque acutiuscula vel apice sub-

obtuse apiculata, basi etiam obtusiuscula, marginibus revoluta, supra nitida, subtus pallida, venis circiter denis erecto-patulis, remotius a margine conjunctis, inter se et cum tenuioribus interpositis laxe reticulatis, $6\frac{1}{2}$ —4 poll. longa, $2\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lata, majora in specimine Kegeliano 6—9 poll. longa, $2\frac{1}{2}$ —3 lata. *Petioli pulvinaribus* elevatis inserti, cicatricem concaviusculam relinquentes. *Gemmae axillaris foliola* bina, linearia, ut in *S. lilacina* minora 2 etiam includentia. *Ramuli* sub nodis leviter compressi et cum inflorescentia pube tenera densiuscula obtecti. *Thyrus* terminalis ut in *lilacina*, *axi* autem tetragono *ramulisque* densius pubescentibus, 6—7 poll. longus. *Rami* oppositi, decussati, tenues, 5—3-v. 1-flori, basi *bractea* lanceolata pubescente caduca suffulti, 2- vix 3 lin. longi, superiores breviores, in *pedicellos* 1—2 lin. longos cymose partiti. *Bracteolae* lineares ad pedicellorum basin, dense pubescentes, caducae, raro in ipso pedicello affixae. *Alabastra* ellipsoidea, utrinque acutiuscula, puberula. *Calyx* $2\frac{1}{2}$ - vix 3 lin. longus, cyathiformis, suburceolatus, limbo in duo labia brevia lata acuta integerrima, unum quandoque mucronato-apiculatum, diviso, quae sub ipsa anthesi haud raro in 2—3 dentes irregulariter fissa, anthesi peracta truncata offenduntur. *Corolla* ut in praecedente, *tubo* manifesto paullum obliquo, oblique e calyce egrediente, *limbi lobis* patulis, subaequalibus, obovatis, obtusis, sub praefloratione tenerrimis pilis raris inspersis, sub anthesi per lentem subciliolatis. *Stamina* omnino ut in praecedente, 2 majoribus ad faucem pertinentibus, 2 paullo minoribus; *filamenta* basi puberulo-hirtella.

TAB. XXXVI. *Schlegeliae elongatae* ramus florens, et pars rami vetustioris radicans, a cl. FOCKE lectus; nec non *Sch. lilacinae* ramus fructifer; nat. magn. a. diagramma floris; b. flos; c. stamina; d. stamen majus; e. gynoeceum; f. bacca transverse secta; g. pars placentifera; h. semen immaturum. Figurae vario gradu auctae.

Adnotatio I. Cum hoc genere, ima fortassis cum specie priore, consocianda videtur stirps Aubletiana hucusque dubia, *Besleria violacea*, AUBL. Tom. 2. p. 630. Tab. 254 et altera vel ejus lusus, *B. caerulea*, ej. l. c. p. 631. Probabiliter Tabula illa secundum specimen depauperatum delineabatur. Quae in icone et descriptione Aubletiana cum nostra haud congruunt, scil. corolla circa discum, in fundo calycino situm, inserta calyxque irregulariter 5-dentatus, minus recte ita observata esse vel verbis minus apte ex-

pressa, nunc pro certo fere statuere haud addubito, quum reliqua omnia de hac stirpe prolata ad unguem congruant. Statuitur scil.: »*Frutex* plures *caules* ramosos, nodosos, sarmentosos, volubiles e *radice* emittens, sparsos supra truncos et ramos arborum, *ramulis* inclinatis. *Folia* opposita, ovata, glabra, rigida, integerrima, petiolata, nervosa, nervis purpurascensibus. *Flores* racemosi, *racemulis* trifloris, *pediculis* et *pedunculis* ad basin squamula munitis. *Flores*, *calix*, *corolla*, *bacca* purpurei coloris, *pulpa* edulis.”

Adnotatio II. Ut auctoris anonymi, qui in *Prodr. Candoll.* Tom. 9. p. 564. *Schlegeliam* recepit, curiositati satisfaciam, monere liceat, hoc genus a *Tanaecio* differre: *calyce bilabiato demum truncato*, *corolla subregulari*, *antherarum loculis linearibus sejunctis* (nec brevibus ac coalitis), *disco hypogyno deficiente*, *stylo erecto*, *fructu uniloculari*.

Observatio. *Crescentiae* generis species, quarum pleraeque in Novo Orbe calidiore domesticae, accuratiori examine adhuc indigent pluresque sub *Cresc. Cujecte* LAM. confusas fuisse haud dubium mihi videtur. In Surinamo una praesertim tanquam *Cresc. Cujete* domestica, pluresque fructus varietates promens, frequens esse videtur, quae autem foliis multo angustioribus magis cuneatis ab iconibus PLUMIERI aliorumque differt, et cum *C. cuneifolia*, GARDN. comparari posset, nisi esset glaberrima.

B I G N O N I A C E A E.

TABEBUIA, GOM. — ■ cl. DC. in *Prodr.* admissa, nullo certo caractere carpologico a *Tecoma*, TOURNEF., differt nec propter calycis limbum bilabiatum potest separari, quum in plurimis *Tecomae* speciebus calyx bi-

labiatus offendatur, imo in eadem specie calyx virgineus bilabiatus dein tri-quadri- vel quinquedentatus evadat, quo factum etiam esse videtur, ut in *Prodr. Candoll.* species alioquin simillimae sub duobus generibus militent, quemadmodum plurimae illae species fruticosae, foliis quinque-foliolatis, floribusque amplis instructae, ripas fluminum americanorum umbrosas inhabitantes, quae omnes ad exemplum *Bignoniae fluviatilis*, AUBL. conformatae sunt. — Cum huic etiam speciei ab uno auctore calyx quinquedentatus, ab aliis bilabiatus tribuatur et de icone AUBLETII dissentiant auctores diversasque species ad eam retulerint, hujus et affinium specierum cognitionem systematicam multis nunc dubiis vexari haud miremur.

Tabebuia cum *Tecoma* conjunctâ, species naturali affinitate proximae, in unum iterum genus colliguntur, quod, donec meliora edocti simus, duas saltem habeat sectiones:

§ 1. *Eutecoma*. Calycis limbus inaequaliter quinquedentatus.

§ 2. *Tabebuia*. Calycis limbus bilabiatus, labiis integris v. demum dentatis.

1. *Tecoma* (*Tabebuia*, DC. *Prodr.* Tom. 9. p. 215 *excl. syn. praeter* AUBL.) *fluviatilis*, MIQ. — Foliolis quinque subaequaliter longiter petiolulatis, ex ovata basi elliptico-oblongis acuminatis, venis costalibus circiter duodenis patulis, calyce bilabiato vel 4—5-denticulato. Sect. *Tabebuia*.

Flores in icone AUBL. (Tab. 267) ejusdem esse speciei ac folia, dubium mihi vix est. Partes omnes forma diminuta paulo negligenter delineatae sunt. *Foliola* 4—5 poll. longa, petiolulis pollicaribus, in specimine *Herb. Aubletiani* (nunc *Musei Britannici*) cum icone congrua. — Fructus in eadem Tabula delineatus, ad hanc speciem certe non pertinet.

2. *Tecoma Meyeriana*, DC. *Prodr.* 9. p. 221. *excl. syn.* AUBL. — *Bignonia fluviatilis*, MEY. *Esseq.* p. 212. haud AUBL. — *Bign. digitata*, E. MEY. *Nov. Act. Acad. N. C.* Tom. 12. p. 782, haud *Tecoma digitata*,

H. B. K. — Foliolis quinque, omnibus breviter et subaequaliter petiolulatis, anguste oblongis acuminatis, basi attenuatis, coriaceis, venis denis vel duodenis subhorizontalibus, calycis lepidoto-scabri limbo bilobo vel demum dentato, corollae glaberrimae tubo angusto. — Sect. *Tabebuia*.

3. *Tecoma insignis*, n. sp. *Couralia fluviatilis*, SPLITG. in *Tijdschr. v. Nat. Gesch. en Physiol.* Tom. 9. p. 15 *excl. syn.* — Foliolis quinque, extremis minoribus brevissime, tribus mediis longiter petiolulatis, subtus cum petiolo communi punctato-scabriusculis, oblongis acuminatis, basi obtusiusculis, venis octonis, calycis scabriusculi limbo bilobo vel dentato, corolla intus ad lobos eorumque margines tenerrime puberula. Sect. *Tabebuia*.

Tecoma digitata et *T. barbata* (DC. *Prodr.*), licet consimiles, characteribus certis tuto distinguuntur.

Tecoma Meyeriana, DC., ut supra.

Ad ripas fluminum, locis umbrosis, v. c. secus flumen *Tampati* in *Suriname superiore*, copiosam detexit cl. FOCKE. Indigenis *Courali*.

Frutex statura sequentis, *trunco* crasso, recto, tri-quadri-pedali, apice dichotome ramoso, num demum arborescens? *Rami* cylindrici, cortice albicante, *ramuli* compressi, lepidoto-squamulosi, cito glabrescentes. *Folia* in apice ramorum opposita. *Petioli* obtuse trigono-semiteretes, laeves, inferne magis compressi, superne antice obiter bisulcati, $4\frac{1}{2}$ —6 poll. longi. *Foliola* 5, decidue articulata, *petiolulis* subsemiteretibus, 3—2 lin. longis, raro 4 lin. aequantibus, exterioribus brevioribus, elliptico-vel sublanceolato-oblonga acuta vel breviter acute acuminata, basi subcuneata in petiolulos coarctata, integerrima, chartaceo-coriacea, *lateralia* minora, basi leviter inaequalia, $4\frac{1}{2}$ —6 poll. longa, 2— $1\frac{1}{2}$ lata, *media* basi aequalia, 7— $8\frac{1}{2}$ poll. longa, $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, omnia marginibus leviter incurva, costâ pallida subtus convexa valde prominente, supra prominula, venis distinctioribus denis vel duodenis, subhorizontalibus, remotius a margine arcuato-unitis, tenuiter crebroque reticulatis.

Inflorescentia cymoso-dichotoma, pauciflora, furfuraceo-fuscula. *Calyx* squamuloso-lepidotus, obconico-tubulosus, fere 1 poll. longus, limbo bilobo inaequali, labio superiore lanceolato paullo longiore, inferiore ovato-obtusum, utroque vulgo integerrimo, sed etiam 2—3—5-dentato. *Corolla* usque ad faucem $2\frac{1}{4}$ poll. longa, *tubo* basi vix angustato, toto latiuscule cylindraco, superne dilatato, *limbi lobis* lato-rotundatis, 2 superioribus quidpiam minoribus altiusque coalitis, omnibus utrinque glaberrimis, in sicco decoloribus, violaceo-reticulatis, non punctulatis. *Stamina* 4 didynama, 2 majora usque ad faucem pertingentia, *antherarum loculis* linearibus obtusis divaricatis, *filamentis* ima basi subdilatatis et puberulis; *quinti sterilis filamentum* breve, puberulum. *Ovarium* dense squamulosum. *Stylus* glaber.

Stirpis hujus in *Prim. Esseq.* adumbratio omnibus notis congruit, si macrum specimen auctori in manu fuisse ponas. Calycem 5-fidum dicit, qualem et ego vidi in defloratis. Cl. ERN. MEYER, qui F. W. C. MEYERI specimen examinavit, calycem etiam trifidum deprehendit, quales variationes in hac aliisque speciebus haud raro offendi.

Tecoma insignis, MIQ. (*Herb. KAPPL.* n^o. 1697). *Courali* indigenis.

Truncus ex SPLITG. tri-quadrupedalis, 4-6 poll. crassus, apice dichotomus. *Rami* albicantes, *ramuli* compressi. — *Innovationes* fusco-lepidotae. *Petioli* semipedales, basi subtetragoni vel subhexagoni, versus apicem antice concavati, scabri, minute squamuloso-punctati. *Foliola* 5, elliptico-oblonga, longe acute acuminata, basi leviter coarctata obtusa, membranacea, integerrima, venis costalibus octonis adscendentibus. *Petiolulus folioli medii* $1\frac{1}{2}$ poll., *adstantium* 1 poll., *extimorum* $2\frac{1}{2}$ lin. longus. *Foliolum medium* $8\frac{1}{2}$ poll. longum, 3 latum, *adstantia* parum minora, *extima* $4\frac{1}{4}$ — $4\frac{3}{4}$ longa, $1\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lata. *Inflorescentia* praecedentis, sed glabrior. *Bractae* parvae, triangulati-lanceolatae. *Calyx* pollice paullo brevior, limbo bilobo vel irregulariter dentato, parce squamulosus, fere glaber. *Corollae tubus* $2\frac{1}{2}$ poll. longus, basi ima contractus, gracilior et angustior quam in praecedente, *limbi lobis* intus puberulis, marginibus subciliolatis, ad lentem punctulatis, venosis, lato-rotundatis, tribus inferioribus paullo majoribus, duobus sup. parumper minoribus altiusque connatis. *Stamina* praecedentis. *Ovarium* compresso-tetragonum, angulis 2 acutatis, glabriusculum. *Stylus* filiformis, glaber, $1\frac{1}{3}$ poll. longus, *stigmatibus* lobis lanceolato-ellipticis. — Fructum SPLITGERBER sub *Couralia* l. c. descripsit.

Ad hanc verisimiliter pertinet *Bignonia aquatilis*, E. MEY. l. c. p. 780. (*excl. syn.*) quam DC. ad *fluviatilem* refert. Corollam glabram dicit; for-

tassis autem pilos, lente fortiore tantum visibiles, praetervidit auctor alioquin accuratissimus. — Caeterum haec ad sp. Aubletianam magis accedit quam *Meyeriana*, distinguitur autem facile petiolulis et foliolorum nervatione.

Syn. SPLITG. ad hanc referendum esse et auctoris verba declarant et maxime icon inedita confirmat; beatum amicum suam a *B. fluviatili*, AUBL., diversam postea credidisse, exinde conjicerem, quod in Tabula inedita *Couraliam aquatilem*, nec *fluviatilem* dixerit.

SPATHODEA, BEAUV. — DC.

1. *Spathodea flaviflora* (n. sp.), ramis teretiusculis, foliis oppositis breviter petiolatis, geminato-vel-ternato-pinnatis, pinnarum foliolis trijugis cum impari: lateralibus oppositis breviter petiolulatis ovato-ellipticis breviter obtuse apiculatis basi subinaequali obtusiusculis praeter costam supra puberulam glabris, terminali majore longe petiolulato, racemis axillaribus oppositifloris glabris, floribus pedicellatis, basi bracteolis duabus oppositis obovatis amplis integerrimis instructis, calyce spathaceo-fisso glabro, corollae intense flavae tubo subdigitaliformi-infundibuliformi, limbi subbilabiati lobis quinque obovato-rotundatis.

Ad fluvium *Marrowyne sup.*, m. Aug., florentem detexit KAPPLER (nº. 1865).

Huic generi provisorie annumeretur cum manifesta ejus sit cum *Sp. brasiliensi* (DC. *Prodr.* Tom. 9. p. 208) nec non cum *Bignonia fallaci*, *ibid.* p. 170, necessitudo.

Specimen incompletum. *Rami* lenticellosi, albicantes. *Petiolus communis* semipollicaris, in suppetente duas ex apice *pinnas* ferens, in uno autem inter has *tertia*, ut videtur, *fragmentum*, vix pro cirrho statuendum, obfert, quare *ternato-pinnatum* etiam esse folium conjeci. An recte conjecerim, ■ completiore specimine ultro examinetur. *Rhachides* 2½-pollicares. *Petioluli* 1—2 lin. *Foliola* 2—2½ poll. aequantia, 7—8 lin. lata; *terminale* duplo majus, *petiolulo* pollicari. *Racemi* axillares, oppositi, folio breviores, oppositiflori, *bracteis* lanceolatis, ut reliquae partes glabris. *Flores* inferiores longius pedicellati quam superiores. *Bracteolae* (an coloratae) 5 lin. longae.

Calyx pollicaris, membranaceus, basi subventricosus, glaber, antice alte fissus, ipso apice integerrimus vel et 3-denticulatus. *Corollae tubus* 1½ poll. longus, latior quam in plerisque contribualibus, *lobis* semipollicaribus.

MACFADYENA, ALPH. DC. (*Prodr.* Tom. 9. p. 179).

Charact. emend. *Calyx* conico-ventricosus subobliquus (longiusculus), antice profunde fissus, apice 1-3-denticulatus. *Corolla* tubuloso-infundibuliformis, obscure bilabiata, *labio superiore* bilobo, *inferiore* trilobo: segmento medio majore emarginato. *Stamina* imo tubo adnata, quatuor didynama fertilia, *antherarum* loculis divaricatis, linearibus, obtusis, *filamento quinto sterili* illis ½ brevior, antherae castratae rudimento diphylo. *Stylus* filiformis, *stigmatis lobis* triangulari-acutis. *Ovarium disco* annulari, carnosio, subundulato, innixum, conico-teres, biloculare, dissepimento, *stigmatis lobis* contrario, utroque margine serie ovulorum horizontalium instructo. *Capsula* tetragono-compressa, linearis, septicido-bivalvis, septo valvis parallelo, *seminibus* late alatis. — *Frutices volubiles guianenses* et *brasilienses*, *foliis* bifoliolatis cirrhosis, *floribus* axillaribus luteis.

1. *Macfadyena Fenzliana*, nunc dicatur planta, quam olim eodem nomine ornatam sub *Dolichandrae* genere proposui (*Linnaea* Tom. 18. p. 251). Fructum eo tempore mihi incognitum, nuper misit *am.* FOCKE, quo non tantum tuto ad novum illud genus hanc referendi sed ipsius generis characteres completiores exponendi data est opportunitas. Nostra procul dubio admodum affinis est *M. uncinatae* (Bignoniae uncinatae MEY. *Esseq.*) imo forsitan eadem quam posteriore hoc nomine proposuit SPLITG. (*Tijdschr. v. Nat. Gesch.* Tom. 9. p. 7), quamque CANDOLLEUS cum *syn. Meyeriano* ad *M. uncinatam* suam retulit. Duae autem distinctae species sunt, quarum una seu *B. uncinata* bracteis duabus amplis ovatis,

inflorescentiam axillarem utrinque suffulcientibus, insignis est et facile ideo a nostra (et SELING. et, ut vix dubito, a *Candolleana* stirpe) distinguitur. *M. uncinata* A. DC. itaque solam stirpem *Prim. Essequeb.* spectat; ad nostram referantur specimina reliqua, in *Prodr.* sub eadem specie annotata, quibus, ut nostris, illae bractee desunt. *Tertia* verisimiliter erit, quam sub *B. uncinatae* nomine (haud MEY.) in *Linnaea* l. c. indicavi, quae *bracteis* illis magnis aliisque characteribus, satis congruit, calyce multum brevioris sui tamen juris videtur.

Capsula M. Fenzlianae nondum prorsus matura, calycis margine superstate incrassato sustenta, $5\frac{1}{2}$ poll. longa, subrecta, lineari-compresso-tetragona, apice in duo cornua brevia valvis contraria desinens, glabra, *valvis* dorso planis, *sutura* plana sed angusta conjunctis, coriaceis, basi 4, apice 3 lin. lata, $1\frac{1}{2}$ crassa, *dissepimento* tenui valvis parallelo, utroque margine serie una *seminum* late alatorum, fere 2 poll. latorum, 2—3 lin. longorum, instructo.

Adnotatio. Bignonia pyramidata, RICH., in *Prodr. Candoll.* Tom. 9. p. 214, *Tabebuiae* generi provisorie subscripta, eadem stirps est quam *Zeyheriae surinamensis* nomine in *Linnaea* Tom. 18. p. 250 et p. 608 proposueram. Frutex scandens est, floribus saturate violaceis, secus ripas fluviorum surinamensium ut videtur haud rarus. Florum indole multis numeris ab illis generibus differt et proprium omnino genus sibi postulare videtur. Cum autem fructus prorsus incognitus sit, de characteribus nihil adhuc statuere malui.



A C A N T H A C E A E.

MENDONCIA, VELLOZ.

Singularis hujus generis species, post praeclaram etiam totius ordinis monographiam, quam ill. NEES AB ESENBECK in *Prodr. Candoll.* Tom. 11. proposuit, haud facili negotio distinguuntur, quum pleraeque, ut in generibus vere naturalibus locum habere solet, simillimae sint et insuper singulae quoad foliorum formam et vestitum, haud levi variationi obnoxiae inveniantur.

Species in omni Guiana, batava etiam, haud rara, est *Mendoncia Velloziana*, MART. *Nov. Gen. et Spec.* Tom. 3. p. 22. Tab. 210, cujus formas aliquot habeo, quae neque cum icone laudata neque cum NEESII in *Prodr. Candoll.* proposita adumbratione exacte congruunt, certissime tamen conspecifica censenda sunt. Specimina quae in distr. *Para* lecta sunt prope *Osembo*, *folia* habent oblonga abrupte subfalcatis acuminata, basi obtusa vel acutiuscula, utrinque praesertim subtus appresse hispidula, venis quaternis vel ternis praesertim in inferiore laminae parte instructa, 3—4½ poll. longa, 1½—fere 2 lata. *Flores* axillares; pedunculi gemini, 1½—pollicares, quandoque e *pedunculo communi* axillari quaterni. *Bracteolae* ovato-oblongae acutae subobliquae, submucronulatae, 7—8 lin. longae, uninerviae, subsericeo- appresso-pilosae, in sicco flavidae. *Corolla* atropurpurea. — Ab hisce specimina ad *flumen Saramacca* lecta, diversa offenduntur *foliis* minoribus, magis ovatis, crassioribus, 1½—fere 3 poll. longis, 1—1½ latis. *Bracteolae* conformes. *Corolla* fere 10 lin. longa, tubo angusto, atropurpurea. *Fructus* obovatus, mucronulatus, lenticularis, semipollicaris. — Forma inter has plane media in coll. KAPPL. sub n°. 1504. occurrit.

Mendoncia Sellowiana, NEES in ENDL. et MART. *Fl. Bras.* fasc. 7. p. 10. DC. *Prodr.* Tom. 11. p. 53. stirps esse videtur quam prope plant. *La Rencontre*, floribus albis onustam, legit cl. FOCKE. *Bracteolae* ovaes utrinque obtusae, apice mucronatae, sub anthesi 6 lin. longae, in fructu fere pollicares. *Corolla* 10 lin. aequans, lato-tubulosa, sursum dilatata, *limbi* lobis brevibus rotundatis. *Fructus* bracteolis brevior, obovato-oblongus, acute marginatus, parte inferiore lenticularis, superne compressus, nondum maturus.

Mendoncia Sellowiana, var. β . *Perrottetiana* (NEES l. c. tanquam species) *foliis* oblongis acutissime acuminatis, basi acutis, 3 poll. longis, 1 latis. A *M. Sellowiana* unice quantum video, foliis basi acutis nec rotundatis abluat, reliquisque omnibus partibus adeo convenit, ut e fallaci et inconstanti caractere specificam differentiam statuere haud ausim. Specimen HOSTM. et KAPPL. *Herb.* n^o. 1450, cum phrasi Neësiana plane congruit,

EBERMAIERA, NEES AB ES.

1. *Ebermaiera humilis* (n. sp.), caule repente, ramis adscendentibus erectis, cum foliorum nervis subtus hirtellis, glabrescentibus, foliis subsessilibus rhombeo-vel ovato-ellipticis obtusiusculis, basi acutis, integerrimis, supra tenere puberulis demum glabris, subtus pallidis, venis quaternis vel quinis, racemis terminalibus spicatis bracteatis villosis basi foliatis, bracteis herbaceis lanceolatis trinerviis villosulis, calycis lobis plumoso-pilosis: quatuor filiformi-linearibus, quinto lanceolato-lineari, capsula acutiuscula polysperma.

Prope *Bergendaal*, in arenosis secus ipsum fluvium, m. Octobri detexit cl. FOCKE.

Affinitate aliqua cum *veronicaefolia* et *Riedeliana* conjuncta esse videtur, habitu formas depauperatas *Teliostachyae alopecuroidis* quodammodo aemula-

tur. Tota planta pollicem, vix digitum aequans. *Caulis* arenae immersus, repens e nodis radicans; *rami* subsimplices obtuse tetragoni, appresse villosule hirtelli, dense foliosi. *Folia* subsessilia vel vix brevissime petiolata, 2—6 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ lata, versus basin semper acuta, supra saturate viridia, subtus venis patulis notata. *Racemi* circiter pollicares, terminales, minoresque etiam e supremis axillis, cum terminali confluentes. *Bracteae* inferiores 3 vel vix 4 lin. longae, lanceolato-lineares, acutae, basi angustatae; superiores minores angustioresque, pilis articulatis tenerrimis patentibus, perraro apice glandulosis. *Flores inferiores* fasciculati, *superiores* solitarii, alterni vel suboppositi, brevissime vel vix pedicellati. *Bracteolae* oppositae filiformes, 2 lin. longae villosae, calycis lobos angustiores aemulantes. *Corolla* calycem circiter aequans. *Stamina* 4, inclusa, didynama, *antherarum loculis* subsemiorbiculatis. *Capsula* lineam aliquid superans, cylindrico-tetragona, tenere pubescens, polysperma. *Semina* subglobosa fuscule areolata, *retinaculi* loco maculae fusculae prominulae innixa.

Adnotatio. *Ebermaieram repentem*, NEES l. c. p. 20. DC. *Prodr.* l. c. p. 77. in *Surinamo* etiam legit am. FOCKE. Specimina magis luxuriantia quam brasiliensia a cl. NEES descripta; suprema folia in quibusdam $1\frac{1}{2}$ poll. longa, reliqua minora 6—7 lin. tantum aequantia.

RHYTIGLOSSA, NEES AB ESENB.

1. *Rhytiglossa acuminatissima* (MIQ.), frutescens, ramulis obtusan-
gulis undique vel duobus lateribus hirtello-pubescentibus, foliis longe petio-
latis (amplis) elliptico-oblongis acute acuminatis, basi longe attenuatis, re-
pandis, membranaceis, supra (pilis parvulis adnatis) striulatis glabris, subtus
in costa numerosisque venis tenere hirtellis, calycis lobis lanceolato-lineari-
bus filiformi-attenuatis tenere puberulis semipollicaribus, corolla bipollicari
saturate rubra.

Species in Surinamo haud rara (HOSTM. et KAPPL. *Herb.* n. 819, 1112, 1716), in umbrosis crescens; ■ cl. NEES l. c. p. 540 tanquam varietas β *intermedia* ad *Rh. secundam* ducta, numerosis eximiisque speciminibus collatis, speciem distinctam mihi sistere videtur.

Rami haud exacte hexagoni, sed fere tetragoni, faciebus duabus concavatis. *Folia* 6—10, imo 12 poll. longa, summa quandoque quaterna. *Petioli* antice plani.

BELOPERONE, NEES AB ESENB.

1. *Beloperone surinamensis* (n. sp.), ramulis teretibus ad nodos purpureos contractis, foliis breviter petiolatis, elliptico-ovatis acuminatis utrinque glabris sed pilis adnatis (aeque ac rami) striatis, secus margines partim puberulis, venis octonis adscendentibus, racemo terminali sessili ovato bracteato, bracteis bracteolisque spathulatis cum calycis, his brevioris, lobis lanceolato-linearibus striulatis parceque pilosis, corolla rosea praesertim tubo parce puberula, capsula ad medium compressa, superne ellipsoidea acuta, valvis dorso longitudinaliter sulcato et subtoroso puberulis.

Herb. HOSTM. et KAPPL. n^o. 796^v.

Diu dubius haerebam cuinam generi pulchram hanc speciem adscriberem. Genera enim *Trib. Gendarussearum*, praesertim quibus antherae biloculares cornutae vel calcaratae competunt, valde affinia et simillima sibi esse videntur. Characteres *Beloperones* satis cum nostra specie congruunt, si excipias *calycem*, in hac haud coloratum (lobos latiusculos saepe coloratos dicit cl. auctor) et *corollam* quae vere ringens tubo longo instructa vix dici potest. A reliquis generibus autem remotior nostra species esse videtur.

Ramuli florentes suppetunt, pennam corvinam crassi, cylindrici, griseo-pallidi, sub lente frequenter striulati, *nodis* purpureo-fuscis subito valdopere contractis sed haud fragilibus. *Petioli* circiter 1 lin. longi. *Folia* in acumen subacutum desinentia, pilis adnatis frequentissime striulata, his secus margines liberis ibi pilosula, membranacea, $2\frac{3}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. longa, 8—9 lin. lata. *Inflorescentia* inter summa folia sessilis, $1\frac{1}{2}$ —2 poll. aequans. *Bractee* aequae ac folia striulatae simulque tamen magis pilosae, spathulatae, apice lato-rotunda-

tae, raro submucronatae, basi in petiolum quasi contractae, $\frac{3}{4}$ poll. circiter longae, superiores decrescentes. *Bracteolae* conformes, multo minores, 3 lin. vulgo aequantes. *Calyx* circiter 2 lin. longus, *lobis* lanceolato-linearibus pilosulis, fere ad basin usque liberis. *Corolla* pollicaris, in sicco amoene rosea, *laciniis* labii inferioris rotundatis. *Stamina* 2, usque ad labium sup. pertingentia, *antherae* oblongo-lanceolatae obliquae, semisagittatae, loculo altero altiore, inferiore basi subcornuto. *Capsula* fere 6 lin. longa, appresse puberula, pallida, 4-sperma. *Retinacula* linearia elongata subcanaliculato-concavata, apice sub-eroso truncata. *Semina* globoso-subpeltata, laevia.

Observatio. *Rhytiglossae* species surinamensis, quae verisimiliter *Rh. Anagallis*, NEES in ENDL. et MART *Fl. Brasil. fasc. 7. p. 109*, *seminum forma singulari* proprii generis titulum sibi vindicare videtur. Haec enim in singulo loculo duo, retinaculis longis sustenta, compresso-plana, cordata, marginibus extenuatis majorem partem serrata. *Antherarum* loculi oblique superpositi, superior minor.

C O N V O L V U L A C E A E.

I P O M O E A, LINN. — CHOIS. (DC. *Prodr.* Tom. 9. p. 548).

Sect. Volubiles macrosepalae.

1. *Ipomoea sericantha* (n. sp.), glabra, foliis lato-rotundatis abrupte anguste acuminatis, pedunculis axillaribus crassis folium superantibus apice racemosis, sepalis elliptico-rotundatis obtusissimis, margine anguste scariosis, glabris, pollicaribus, corolla alba, campanulata, in plicarum dorsis villosa, $2\frac{1}{2}$ -pollicari.

Secus *flumen Marrowyne superius* m. Augusto legit KAPPLER (n. 1864).

Caulis volubilis, teres, laevis, nitidus, in sicco pallide castaneus, anguste fistulosus, fere lignosus. *Petioles* bipollicares. *Folia* $4\frac{1}{2}$ poll. longa, 4 lata, praeter acumen fere rotundato-reniformia, basi lato-truncata, vel obsolete subcordata, integra et integerrima, circiter 9-plicata, nervis binis vel ternis e basi ortis, membranacea, glaberrima. *Pedunculi* caulis crassitiam fere aequantes, 4—5-pollicares, apice racemum pauciflorum ferentes. *Bracteae* ovatae vel ellipticae, scariosae, glabrae, deciduae. *Pedicelli* sursum incrassati, 4—6 lin. longi. *Sepala* membranacea. *Corolla* ante anthesin extus tota incano-villosa, sub anthesi campanulata, plicata, margine obtuse 5-dentata, a dentium apice inde secus plicas dense villosa.

Sect. Microsepalae. § 3. CHOIS. l. c. p. 367.

2. *Ipomoea mollicoma* (n. sp.), tota tomentello-pubescentibus, foliis ovato-cordatis breviter acuminatis integerrimis, pedunculis axillaribus folium fere aequantibus incano-pubescentibus apice subumbellato-floriferis, pedicellis calyceque glabris, sepalis lato-ovatis obtusis, corollae luteae infundibuliformis limbo quinque-dentato extus pilosulo, filamentis versus basin muricatis.

Locis cultis prope *Bergendaal* cl. FOCKE atque KAPPLER (nº. 550) leguntur.

Planta volubilis statura *Calystegia sepium* paulo minor, *caulibus* tenuibus pennam corvinam vix crassis, dense pubescentibus. *Folia* utrinque pubescentibus, molli densa brevi fere sericea obtecta, lato-vel raro oblongo-ovata, basi lato-cordata, apice acute apiculata, venis e basi et e nervo medio quinque vel senis distinctioribus, $3\frac{1}{2}$ —2 poll. longa. *Pedunculi* 2—4-pollicares, caulium fere crassitiei. *Pedicelli* in cymam contractissimam vulgo plane umbelliformem, numquam in veram umbellam, collecti, 4—12, vulgo 8 circiter in singula inflorescentia, basi *bracteis* parvis glabris suffulti, 4—6 lin. longi, laeves, glabri, apice aliquid incrassati. *Sepala* coriaceo-scariosa, glaberrima, imbricata, late ovalia, juniora summo apice aliquando pilis parvis instructa, fere 3 lin. longa. *Corolla* sub praefloratione cylindrica, apice incano-pubescentibus, sub anthesi infundibuliformis, plicata, 6—7 lin. longa. *Filamenta antheris* oblongis basi emarginatis, *connectivo* prominulo apiculatis, duplo longiora, inferne incrassata et muriculata. *Ovarium* ovatum, biloculare, 4-ovulatum; *stylus* teres,

stigma brevi-bicrure. *Capsula* calyce duplo major, ovato-globosa, fere semi-pollicaris, glabra, septo tenui. *Semina* subreniformi-dimidiata, testa nigro-fusca, dura, dense pilosa. *Albumen* durum. *Cotyledones* plicato-corrugatae.

TAB. XXXVII. Ramuli florentes et deflorati, nat. magnitudine.

a. stamina, a. m.; *b.* pistillum; *c.* capsula demto dimidio pericarpio, nudatis duobus seminibus; *d.* ejusdem septum; *e.* semen, nat. magu.



S O L A N E A E.

S O L A N U M, LINN.

1. *Solanum radula*, VAHL *Eclog.* Tom. 2. p. 16. DUNAL *Synops. Sol.* p. 17. — *S. asperum*, RICH. *Act. Soc. Hist. nat. Paris.* Tom. 1. p. 19. — *S. salvifolium*, LAM.

Frutex floribus candidis, in fruticetis surinamensibus a cl. HOSTMANN lectus (n. 615).

Rami ramulique pilis stellatis sordide fuscescenti-tomentosi. *Folia* alterna vel subopposite approximata, latiuscule lanceolata acute subacuminata, basi attenuata in petiolum brevissimum subdecurrentia, $2\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{2}$ poll. longa, $\frac{3}{4}$ —1 poll. lata, supra pilis rigidulis scabro-pubescentia, viridula, subtus tomentosa (pilis vulgo e centro crassiusculo 8-radiatis), venisque costalibus octonis vel denis patule subarcuatis pertensa. *Cyma* terminalis, longe pedunculata, dichotoma contracta densiflora, dense tomentosa. *Flores* pedicellati. *Calyx* lineam longus, *lobis* ovatis acutiusculis extus dense tomentosus, intus glabris. *Corolla* fere 2 lin. longa, 5-fida, *lobis* ovatis acutis patentibus dorso marginibusque pubescentibus, intus glabris. *Stamina* corollae $\frac{1}{2}$ breviora, *antheris* conniventibus elliptico-oblongis, utrinque emarginatis, apice antice biporis. *Ovarium* ovoideum. *Stylus* filiformis, stamina superans.

TAB. XXXVIII. Ramus plantae florentis, nat. magnitudine.

a. flos; *b.* calyx cum ovario grossificante; *c.* stamen a dorso et ventre; *d.* pubes calycis; auct. magn.

2. *Solanum cuneifolium*, DUN. *Monogr.* p. 193. Tab. 22, — in Surinamo ab HOSTMANNO (n^o. 220) et KAPPLERO (n^o. 1348) lectum est. Pubes exsiccatione incanescit, sed in *varietate* a cl. FOCKE in interioribus coloniae regionibus detecta, minus tomentosa et magis scabriore, calycibusque fere semper inermibus instructa, folia exsiccatione rufescunt. *Pili* stellati, e stipite communi crassiusculo, elongato, 5—7-radiati. *Aculei* flavicantes, leviter compressi leviterque curvati. *Folia* utrinque pilis stellatis scabriuscule subtomentella, geminorum unum *minus*, ellipticum utrinque acutum, 2½—3-poll. longum, integerrimum, *majus* illo fere duplo longius, vulgo acute acuminatum, inde a medio cuneatum et integerrimum, superne vel integerrimum vel plerumque subsinuoso-pauci-angulatum. *Calycis* quinquepartiti *lobi* e basi ovata abrupte acuminati, acumine canaliculato, extus stellato-hirti (pilorum stipite elongato). *Corollae* quinquepartitae *lobi* patentes, lanceolati obtusiusculi, dorso praesertim versus apicem pilis stellatis et setulis simplicibus instructi. *Stamina* aequalia, *filamentis* brevissimis, *antheris* lanceolatis basi subsagittatis. *Ovarium* ovatum, *stylus* stamina parumper superans. *Bacca* subglobosa glabra. *Semina* cuneato-compressa.

TAB. XXXIX. Sol. cuneif. *var.* ramus florens et baccifer nat. magnitudine.

a. flos; *b.* calycis lobus; *c.* apex lobi corollini ■ dorso; *d.* stamen a dorso et ventre; *e.* pistillum; *f.* bacca immatura; *g.* semen (nat. magn. et auctum a dorso et latere); *h.* pilus unus pauciradiatus; figg. auctae.

3. *Solanum trichocarpum* (n. sp.), fruticosum, dense stellato-pubescentis, aculeatum, foliis geminis et solitariis, triangulari-ovatis, basi leviter inaequali truncatis, utrinque subpinnatifido-tri-quinque-sinuatis, supra parce puberulis, subtus albido-tomentellis, utrinque aculeatis, cymis in-interpetiolaribus, densissime tomentosis, brevissimis, dichotomis, ramis subscorpioideo-racemosis, calyce brevissimo subsemigloboso truncato vel subsinuato, baccis globosis pubescenti-tomentellis.

Frutex elatior, floribus albis; in via ad *Quatta* m. Novembris legit cl. FOCKE.

Rami cylindrici, pilis stellatis (5—7-radiatis) albidis parvis pilosuli, glabrescentes. *Aculei* ramorum 2 lin. longi, flavi, apice fusciscentes, leviter curvati obiterque compressi, basi pilis stellatis puberuli. *Petioli* 1½—2 poll. longi pubescentes, *aculeis* longioribus, 3 lin. longis, subulatis rectis vel leviter curvulis, basi puberulis, instructi. *Folia* submembranacea, utrinque in costa et venis aculeis rectis obsita, supra saturate viridia pilisque stellatis (5—6-radiatis) inspersa, in nervis densioribus et persistentibus, subtus albida, pilis stellatis exilibus mollibus densis nudo oculo haud distinctis oblecta, venosa, pinnatifido-angulato-sinuata, lobis utrinque 3—5, vulgo 1—2½ poll. longis, triangularibus, acutis, integerrimis vel sinuato-pauci-dentatis, alia 5 poll. longa et lata, alia 7½ longa, 6½ lata. *Cymae* contractae. *Flores* breviter pedicellati. *Calyx* ½ lin. longus, 1½ latus, truncatus, 5-angulatus, dense tomentosus. *Corolla* 2 lin. longa, in alabastro ellipsoidea, 5-partita, extus tenere dense tomentella, *lobis* elliptico-lanceolatis, apice excavato obtusiusculis, intus glabris canaliculatis. *Stamina* 5, corollae breviora, *filamentis* brevissimis, *antheris* ovato-oblongis, biporis. *Baccae* flavae? globosae, semipollicares, biloculares? pilis stellatis tomentellae; *semina* compressissima.

4. *Solanum laetum* (n. sp.), scandens, glabriusculum, foliis longiuscule petiolatis, ovato-oblongis attenuato-obtusiusculis vel subapiculatis, basi rotundatis vel subemarginatis, membranaceis, supra glabris, subtus nascentibus rarissime pilosulis cito glabratis, paniculae terminalis puberulae ramis primariis patentissimis saepe bifidis, racemosis, floribus longiuscule pedicellatis, calyce semigloboso-obovato quinquecrenato, corollae quinquepartitae lobis lineari-lanceolatis, dorso versus margines praesertim tenere tomentellis, antheris quatuor aequilongis, quinta longiore, stylo basi puberulo, stigmatibus capitellato.

In Surinamo detexerunt cl. FOCKE et KAPPLER (n. 1599).

Valde simile est *S. pensili*, SENDTN. in MART. et ENDL. *Fl. Bras. Solan.* p. 50, glabritie et floribus minoribus praesertim distinguendum. *Folia* 2½—3½ poll. longa, 1½ lata vel paullo latiora, nascentia in venis subtus pilosula;

adulta glaberrima. *Pedicelli* 2 lin. longi. *Calyx* 1 lin. brevior, demum irregulariter pluri-crenulatus, junior 5-crenatus, glabriusculus. *Corolla* 4—5 lin. longa. *Stamina* minora 2, majus 3 lin. longa.

5. *Solanum surinamense*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 762 (haud SENDTN. l. c.), ab HOSTMANNO (n. 890, 1271), KAPPLER (n. 1664) et a cl. FOCKE lectum est. Frutex elatior est, corollis albis, antheris vitellinis, foliorum forma variabilis, geminorum minore rotundato, obovato vel elliptico et acuto. Vix satis a *S. diphylo*, LINN., differre videtur.

ASPERIFOLIAE.

HELIOTROPIUM, TOURNEF.

1. *Heliotropium helophilum*, MART. *Herb. Flor. Brasil.* p. 163.
In regionibus interioribus secus *flumen Suriname*, m. Aprili legit KAPPLER (n. 1810).

H. bahiense, *helophilum*, *filiforme* species sistunt arcte cognatas, in Prodr. Candolleano caute quidem definitas, nec tamen satis illustratas. Quemadmodum apud nos *Myosotides* mira formae variabilitate adeo ludunt ut certum singularum specierum discrimen vix inveniamus, sic inter exoticas *Asperifolias*, in *Heliotropii* etiam genere, complures sunt, quae licet specificè distinctae, singulae adeo variabiles esse videntur, ut non e paucis herbariorum speciminibus, sed diuturna saltem earum in solo natali observatione notae differentiales solidae erui posterint.

Radix lignosa, superne calamum scriptorium crassa, digitum longa, in paucos ramos divisa. *Caules* plures, basi lignescentes, ramosi, digitum longi vel fere spithamei, ut videtur partim decumbentes; ramuli, folia utrinque, inflorescentia et calyx extus densis appressisque strigulis incanescunt. *Folia*

densiuscula, alterna, breviter petiolata, lineari-lanceolata, vel obverse subspathulato-lanceolata, acuta vel acutiuscula, 4 lin. longa, breviora, raro longiora, 1 lin. lata vel angustiora, raro latiora, basi in *petiolum* semilineam longum angustata. *Racemuli* ramulos terminantes solitarii vel gemini, $\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ -pollicares, a basi unilateraliter florentes; *bracteae* lineari-lanceolatae, persistentes, calycinis lobis fere conformes. *Flores* subsessiles vel brevissime pedicellati, pedicellis post anthesin paulo longioribus. *Calyx* 5-partitus, *lobis* lanceolatis, strigillosis, $\frac{1}{2}$ lin. circiter longis, *lobo* exteriori paulo longiore et latiore, in fructu accrescentibus. *Corollae* albae *tubus* calycem aequans, extus basi glaber, caeterum pilis appressis haud densis instructus, *limbus* 5-lobus, lobis ovatis acutiusculis tubum aequantibus, dorso versus basin parce pilosis, caeterum glabris, denticulo triangulari cuius sinu interjecto, fauce nuda. *Stamina* paulo infra medium tubo inserta, *filamentis* brevibus, *antheris* ellipticis emarginatis, apice rarissime puberulis, conniventibus, inclusis. *Ovarium* hirtum. *Stigma* conicum, basi exiguis verruculis circumdatum. *Nuculae* 4, calyce inclusae et breviores, in fructum depresso-globosum conglutinatae, extus appresse hirtellae, muticae, dorso convexae, unum quartum sphaerae segmentum sistentes, faciebus 2 internis unifoveolatis, nondum plane maturae.

TAB. XL. A. Planta integra, nat. magnitudine.

a. flos; b. stamina; c. alabastrum; figurae auctae.

TOURNEFORTIA, LINN.

Tournefortia syringaeifolia, VAHL. *Symb.* 2. p. 23. — (Messerschmidia syring. ROEM. et SCH. *Syst.* Tom. 4. p. 542.)

Ad hanc speciem, post VAHLIUM ab auctoribus nondum ut videtur observatam, pertinere vix dubito stirpem frutescentem, ab am. FOCKE lectam, *T. cornifoliae*, H. B. K., *laevigatae*, LAM., et *obscurae*, DC. affinem, una cum *surinamensi*, A. DC., (quae licet certe sui juris, cum hac facile confundenda), ad sect. *Pittoniae* § 1. DC. Prodr. referendam.

Frutex ramis strictis. *Ramuli* angulati, fusci, tenera pube conspersi, glabrescentes. *Folia* coriacea vel submembranacea, supra in sola costa media, subtus magis univerte, praesertim tamen in eâ et in venis puberulo-hispidula,

glabrescentia, subtusque scabrescentia, ramorum ovata lata acuminata, basi lata subtruncata, 6 poll. longa, 4 lata, superiora et ramulorum minora, ovata, ovato-vel lato-elliptica, modice sed acute acuminata, basi saepe breviter acuta nec raro inaequalia, venis costalibus 8^{nis} vel 12^{nis}, patule subadscendentibus, ante marginem arcuatim unitis, haud validis, prominulis, parce reticulatis, in sicco fuscula, opaca, subtus ad lentem nigro-punctulata, *petiolis* 1— $\frac{1}{3}$ poll. longis sustentata. *Inflorescentia* terminalis, subsessilis, alterne et dichotome divaricate ramosa, densa, strictiuscula, ramulis florentibus 1— $2\frac{1}{2}$ poll. longis semiteretibus, pilis dimorphis, pube tenera scil. et rigidiusculis pilis patulis intermixtis (ad lentem) pubescentibus, secundifloris. *Flores* brevissime pedicellati vel subsessiles, viriduli, ebracteati. *Calycis* 5-fidi *lobi* lineari-lanceolati herbacei, extus densiuscule hirtelli, fere 1 lin. longi, subaequales. *Corollae* *tubus* calyce fere duplo longior, $1\frac{1}{2}$ lin. vulgo aequans, basi et ad faucem tumidus, extus substrigillose pubescens, *lobis* 5 lanceolato-ellipticis acutis undulatis, extus ut *tubus* pubescentibus, tuboque multo brevioribus. *Filamenta* medio tubo inserta, glabra, *antherae* lineares ad faucem fere pertingentes, brevissime apiculatae, filamentum aequantes. *Ovarium* ovoideum, *stylus* crassus, *stigma* capitellato-subconicum, lateribus verrucosum, apice brevissime bifidulum, lobis teretiusculis. *Fructus* immaturus globoso-ovatus, rostratus.

TAB. XLI. Ramulus florens, cum folio rami, nat. magnitudine.

a. flos; b. *tubus* corollinus intus cum genitalibus; c. *stamen* antice et postice; d. *pistillum*; e. *fructus* immaturus; *figurae* vario gradu auctae.

Adnotatio. Stirps nostra a VAHLII descriptione unice fere differt eo, quod folia subtus in nervis tenerius pilosula, ab illo *villosula* dicantur. Adjectivum autem hoc non solum folii sed etiam inflorescentiae indumentum in phrasi illa spectat, et cum huic revera conveniat, brevitatis causa ita, licet minus accurate, adhibitum fuisse credere fere liceat. Corollae lobos angustos perhibet quales equidem in vivo non sunt, at in siccatis vulgo tales esse videntur.

Proxima praecedenti est *Tournefortia surinamensis*, A. DC. *Prodr.* l. c. p. 526, quae ad eandem Sect. et § l. c. mihi pertinere et prope *syringaeefoliam* inserenda videtur. Specimina eximia nuper ab am. FOCKE

accepi; in *Herb. Hostm. sub* n^o. 951 exstat. Differt ab illa habitu graciliore, *ramulis* tenerius pubescentibus, *foliis* magis ellipticis, basi aequali acutiusculis, nascentibus supra ubique fugaciter puberulis, nec in ipsa costa, pube subtus in ea fugaci, venis quinque tantum instructis, subtus punctulatis, adultis glabratis, *calyce tubo corollae* fere quadruplo brevior, *lobis* glabrioribus ovato-lanceolatis fere triangularibus, acutis, *corollae* tubo gracili, basi et apice haud adeo tumido et praesertim sursum densius hirtello. — Hujus loci etiam est *Herb. Kappl. n. 1721* (*T. laevigata*, in sched., haud LAM.) calycis lobis paulo angustioribus tantum abludens.



C O R D I A C E A E.

C O R D I A, PLUM.

Inter species hujus generis americanas complures esse, quas, si ex archetypis eas inquirendi data esset opportunitas, cum antiquioribus speciebus conjungere oporteret, vix dubito. Haud raro enim inter variarum specierum characteres levior saltem, imo nulla fere, differentia inveniri potest, vel si revera existere videatur, e diverso terminorum apud Botanicos usu opportune explicari potest. Plures insuper species, foliorum forma et vestitu ludentes, compluribus speciebus immerito condendis ansam praebuisse videntur. Ab altera parte characteres differentiales inter species similes sed distinctas nondum satis perspecti vel in phrasibus haud accurate expressi vel adhuc plane neglecti fuisse videntur, quo factum est ut ejusmodi species inter se permutatae fuerint.

Addere liceat sequentes de speciebus guianensibus observationes.

1. *Cordia sericicalyx*, A. DC. *Prodr.* Tom. 9. p. 485, *varietas latifolia*, MIQ.

Cl. auctor e specimine Schomburgkiano (n. 109) quod haud vidi, breviter suam speciem descripsit. Specimen *Herb.* KAPPLER. n. 1500 et florum structura et foliorum compage ac indumento cum illius characteribus tantopere congruit, ut propter inflorescentiam grandiolem et folia latiora separare haud necesse esset.

Ramuli angulati, petioli foliaque utrinque pilis appressis in his subtus densioribus, scabriuscula. *Petioli* 3—4 lin. longi. *Folia* ovata vel lato-elliptico-ovata, breviter acutiuscule acuminata, basi lata rotundata vel breviter acuta, $3\frac{3}{4}$ — $5\frac{1}{2}$ poll. longa, $2\frac{1}{3}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, venis costalibus haud fortibus 9^{nis}—10^{nis} paralelis patule adscendentibus ante marginem unitis, supra subnitida, subtus pallida. *Inflorescentia* terminalis pedunculata, ferme spithamea, vage laxaque dichotoma, ramis gracilibus, ramulis ultimis ad apicem florigeris, tota appresse incano-pubescens. *Flores* sessiles, fasciculati. *Alabastra* obovoideo-obconica, circiter $1\frac{1}{2}$ lin. longa, appresse sericeo-incana. *Calyx* $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{2}{3}$ lin., obconicus, extus appressissime sericeus, intus pilis longiusculis villosus, lobis 4 brevibus. *Corolla* extus glabra, lobis 4 rotundatis, intus ad staminum insertionem subvillosa, caeterum glabra. *Stamina* 4, *filamenta* medio tubo inserta, versus basin hirto-villosa, superne glabra; *antherae* breviter exsertae oblongae, post pollen emissum basi bifidae. *Styli* crura brevia non exserta.

2. *Cordia patens*, H. B. K. *Nov. Gen.* Tom. 3. p. 75. DC. *Prodr.* l. c. p. 495 β *polycephala*, CHAM.

In speciminibus prope *Paramaribo* lectis (Focke, Hostm. n. 295, 877) *capitula* in pedunculo solitaria vel saepius terna, aliquando ipsa capitula in brevem spicam interruptam soluta. *Petioli* prope basin articulato-geniculati. — Haud video, quomodo ab hac differat *C. ulmifolia*, Juss. — DC. l. c. p. 494; huic *calyx* velutinus, *C. patenti* vero *strigoso-hispidus* (qualis in nostris est) tribuitur; reliquae omnes notae congruae. — *Foliorum forma variabilis*; alia ovato-elliptica, alia magis oblonga, argute, plerumque remote, mox vero densiuscule serrato-denticulata, to-

mento paginae inferioris in exsiccatis vel fusciscente vel plane incano. — Num huc *C. ulmifolia*, JUSS. a cl. GARCKE (*Linnaea* Tom. 22. p. 68) ex *specimine* KEGEL. n. 9 et 109 citata?

3. *Cordia guianensis*, ROEM. et SCHULT. *Syst. Veg.* Tom. 4. p. 460, *haud* E. MEY. — *Cord. Aubletii*, DC. *Prodr.* Tom. 9. p. 490. *Varronia martinicensis*, AUBL. Tom. 1. p. 232, *haud* JACQ.

Species in Guiana haud rara, a simillima *C. martinicensi* petiolis (basi) geniculatis, foliis saepe fere integerrimis (denticulis aetate delinquentibus), pube densiore distinguitur, nec non patria differt; illa enim Indiae occidentali, nostra Guianae propria esse videtur. Proxima etiam est sequens.

4. *Cordia graveolens*, H. B. K. *l. c.* p. 174. — *C. spicata*, WILLD. in ROEM. et SCHULT. *Syst. Veg. l. c.* p. 799.

Quam *C. guianensis* titulo (haud R. S.) cl. ERN. MEYER accurate descripsit stirpem surinamensem (*Nov. Act. Ac. C. Leop. Car. N. C.* Tom. 12. p. 788) et ego tamquam genuinam *C. martinicensem* in Herbario meo acceperam, ipsam hanc speciem Kunthianam esse, non est quod ultro dubitem, nec forte *C. polystachya*, EJ. *l. c.* p. 73 ab ea differat. Plures sane plantarum species ab HUMBOLDTIO in *Orinocci regionibus* detectae, in *Guiana* reperiuntur. Quantae variationi autem haec *Cordia* obnoxia sit, numerosa specimina, variis stationibus, in sylvis, ad fluminum ripas vel in maris vicinitate collecta, et ab amic. FOCKE missa, ad amussin comprobant. Ipsam *C. interruptam* DC. *l. c.* p. 491 (*C. guianensis*, DESV., opinante DC.) ejusdem speciei formam esse non solum e breviori phrasi Candolleana colligi posse videtur, sed eo etiam comprobatur, quod e *specimine* surinamensi Hostmanniano (*Herb.* n. 323, mihi tamen haud suppetente) constituta sit et inter specimina surinamensia mea quaedam formae occurrant quae omnino characteres *interruptae* prae se ferant. — Quum ERN. MEYER *l. c.* eximie stirpem nostram adumbraverit, fusiorem descriptionem

haud repeto. Specimina exsiccata odorem aromaticum, Salviam aemulantem, praesertim si digitis fricentur, adhuc spirant. *Foliorum* magnitudo et indumentum in diversis stationibus praesertim diversa. In speciminibus v. c. ad maris oram prope Matappica lectis, folia 3 poll. longa, 1— $\frac{3}{4}$ lata, grosse dentato-serrata et subtus pubescentia, in sylvaticis vero folia majora, 1 $\frac{1}{2}$ poll. lata, subtus glauca; iis, quae humo pinguiore nutriebantur, folia sunt fere prorsus glabra, 6 poll. longa, 2—3 lata, secus petiolum decurrentia, grosse serrata, petiolis $\frac{1}{2}$ —1 poll. longis, basi ima, ut in omnibus hisce formis, articulatis, delapsis pulvinar elevatum subdecurrens relinquentibus.



V E R B E N A C E A E.

P E T R E A, HOUST.

1. *Petrea macrostachya* (BENTH. in HOOK. *Journ. of Bot.* Tom. 2. p. 53), volubilis scaberrima, foliis breviter petiolatis crustaceo-coriaceis ovali-vel lanceolato-oblongis, acutis, obtusis vel rotundatis, plerumque mucronatis, basi acutis raro obtusis, integerrimis, supra nitidulis, subtus reticulatis sublacunosis pallidis, utrinque parca pube asperrimis, racemo terminali elongato scabro, bracteis lanceolatis scariosis, pedicellis tubo calycino brevioribus, epicalycis lobis subspathulatis acutiusculis vel mucronatis, tubo calycis multum longioribus, calycis dentibus triangulari-ovatis acutis. — *P. volubilis guianensis*, CHAM. — *P. bracteata*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 764 (certe haud ad *P. rugosam*, H. B. K. referenda, ut fecit cl. J. C. SCHAUER in *Linnaea* Tom. 21. p. 271; illa *arborea*, nostra volubilis.)

Stirps in Surinami sylvis crescens, volubilis, floribus totis violaceis,

ornatus causa in plantationum hortis etiam culta, foliorum forma admodum variabilis. Clarissimi SCHAUERI definitio in DC. *Prodr.* Tom. 11. p. 617 haud omnino accurata. Folia ex. c. in meis majora, petioli breviores, calycis lobi acutiores, rel.

Petioli colorati scaberrimi subsemiteretes, semipollicares vel breviores. *Folia* 3—9 poll. longa, 1—3 lata, in quibusdam speciminibus omnia magna vel utrinque acuta vel obtusa, in aliis omnia multo minora utrinque obtusissima et nunc sane iis *P. rugosae* magis similia. *Racemi* sub media anthesi circiter pedales, basi nudi tantum bracteati, superne conferte floriferi, *axi* tetragono scabro. *Bractee* lanceolatae, superiores subulato-lineares, omnes decolores hirtellae persistentes. *Epicalycis lobi* spathulato-lanceolati acuti, accrescentes magis spathulati atque obtusiores, semper tamen apice aliquid coarctati, violacei, scabri, punctulati, reticulati, 2—5, denique fere 6 lin. longi, 1—2 demum 2½ lin. sub apice lati, basi angustati. *Calycis tubus* campanulatus, plicatus, fere 2 lin. post anthesin aequans, *dentibus* acutis. *Corolla* epicalyce duplo brevior, *lobis* obtusis, inferne glabra, superne velutina. *Stamina* subdidynama 4. *Stylus* ovarium fere aequans.

TAB. XLII. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. flos, ab antica parte partim fissus, paulo auct. magn.; *b.* idem longitrossum sectus, resectis partim epicalycis lobis; *c.* stamina antice et postice; *d.* stylus cum stigmatibus; figg. auct. magn.



L A B I A T A E.

H Y P T I S, JACQ. — BENTH.

1. *Hyptis brevipes* (POIT. *Annal. du Mus.* Tom. 7. p. 465. BENTH. in DC. *Prodr.* Tom. 12. p. 107), caule acute tetragono, inferne glabriusculo, superne pubescente, foliis petiolatis elliptico-oblongis vel-lanceo-

latis acutis, inaequaliter serratis, basi cuneato-angustata integerrimis, utrinque praesertim subtus in costa venisque cum petiolo parce hirtellis, pedunculis capitulum globosum paulo superantibus vel aequantibus densius pubescentibus, bracteis lineari-lanceolatis capitulum excedentibus ciliatis parceque pilosis, calycis pubescentis dentibus linearibus strictis basi subdilatis sub anthesi tubo longioribus, nuculis oblongis obtusis disco quadri-lobulato innixis.

Species per *Novum Orbem aequinoctialem vulgatissima*, — in ins. *Fernando Po* reperta, jam in *insulis malaianis austro-asiaticis* etiam crescens, — in *omni Guiana* communis esse videtur. — *H. globiferam*, MEY. *Esseq.* ad eandem speciem referendam esse, ex accurata auctoris descriptione, speciminibus plerisque plane congrua, non est quod dubitare possimus. Teste cl. BENTHAM *H. lappulacea*, MART. *Herb. Fl. Bras.* n. 418, hujus etiam loci est.

Suffrutex plerumque tripedalis, ramosus, strictus, inferne glaber laevis, superne scabrescenti-pilosus. *Folia* inferiora majora, superiora decrescentia, 2—6-pollicaria, in medio 1—1 $\frac{3}{4}$, rarius $\frac{1}{2}$ lata, grossius inaequaliter serrata, quandoque uno margine praesertim subinciso-serrata, basi longe cuneata, rarius saltem acuta, subtus ad lentem punctulata, tactu utrinque scabriuscula. *Pedunculi* axillares, $\frac{1}{2}$ —1 poll. longi, tenues, appresso-pubescentes. *Capitula* florentia $\frac{1}{2}$ poll. in diametro, globosa, bracteis numerosis viridibus lanceolatis rigidis, exterioribus majoribus, 3—4 lin. longis, subcarinatis, interioribus angustioribus et brevioribus, omnibus ciliatis sparsimque pilosis, obvallata. *Calyx* maturus decemstriatus, transverse venosus, puberulus. *Corolla* alba, calycem vix excedens, *labio* superiore obtuso emarginato, inferiore trifido: *laciniis* deflexis, intermedia majore calceiformi emarginata. *Nuculae* calyce inclusae, obliquiuscule oblongae, obtusae, nigricantes, *disco* 4-lobulato vel saltem repando innixae.

G E N T I A N E A E.

C O U T O U B E A, AUBL.

1. *Coutoubea ramosa* (AUBL. Tom. 1. p. 74. Tab. 28), annua, caule basi lignescente, erecto, ramosissimo, obtuse tetragono, foliis lanceolatis utrinque attenuatis, racemi pedicellis oppositis distantibus, bracteis inferiorum foliaceis florem quadruplo superantibus.

Stirps in omni *Guiana* nec non in *Brasilia* vulgaris (HOSTM. n. 370, 797^b, KAPPL. n. 586, KEGEL, aliique).

C. racemosa, MEY. *Esseq.* p. 86, unice caule tereti bracteisque inferioribus etiam minutis diversa, certe nil nisi lusus *C. ramosae*. Specimina plura exacte cum MEYERI adumbratione congrua, formis intermediis in genuinam *C. ramosam* transeuntia offendi.

2. *Coutoubea spicata* (AUBL. l. c. p. 72. Tab. 27 mala. MEY. *Esseq.* p. 86), annua, basi sublignescens, simplex vel ramosa, caule ramisque teretiusculis, foliis basi leviter excisa sessilibus, infimis vulgo oblongis obtusis, reliquis lanceolatis, utrinque attenuatis acutis, planis vel revolutis, floribus spicatis oppositis vel subquaternis quaternisve, densis vel remotioribus, corollae lobis acuminatis post anthesin reflexis. — *C. densiflora*, MART. *Nov. Gen.* 2. p. 112. Tab. 185. *C. reflexa*, BENTH. in HOOK. *Journ.* Tom. 2. p. 45. *C. lutea*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 765.

In omni *Guiana*, in *Brasilia boreali*, locis apricis arenosis, haud rara stirps. HOSTM. n. 645 (*C. lutea*, STEUD.); KAPPLER n. 1564. Species admodum variabilis. *Caules* vel ramosi vel rarius indivisi. *Folia* vel crassiora breviora atque revoluta (*C. reflexa*), vel majora et latiora (*C. den-*

siflora) vel inferiora pleraque obtusa (*C. lutea*). Character *C. reflexae* e genitalibus majoribus derivatus haud costans. — *C. luteae* specimina habeo foliis lanceolatis acuminatis insignia. Inter specimina *C. spicatae* a cl. FOCKE missa vidi, quibus folia radicalia obovalia (*Linnaea* Tom. 19. p. 137). — Icone Aubletiana minus accurata factum videtur ut auctores sua specimina hujus stirpis variabilis diversa crediderint. — Spicae admodum diversiformes, etiam in eodem individuo, mox densae, floribus oppositis, mox laxiores floribus oppositis simulque verticillatis.

GENTIANEAE PARASITICAE.

Tentamen dispositionis novae (1).

I. VOYRIELLA. — (Voyriae Sectio, MIQ. *in Wis- en Natuurk. Tijdschr. I. Kl. d. Instit.* Tom. 2. p. 124).

Calyx pentaphyllus, *sepalis* praeefloratione subimbricatis. *Corolla* subcylindrica, basi tumidula, supra medium parumper constricta, *limbo* quinque-dentato, marcescens, demum dejecta, calycem aequans. *Stamina* inclusa, superiori tubi parte inserta, *filamentis* brevissimis, *antheris* elliptico-lanceolatis liberis, connectivo subulatim producto. *Ovarium* oblongum, *stylo* persistente, *stigmatibus* emarginato. *Capsula* ovata quadrisulca, incomplete bilocularis, medio dehiscens? *Semina* placentis immersa, subglobosa, areolata. — *Herbula surinamensis*, *radice* fibrosa, *squamis* caulinis oppositis vel summis alternis, *inflorescentia* cymose capitata, *floribus* parvis, supra bracteas lanceolatas insertis, medio subsessili.

(1) Voyriae generi, ab AUBLETIO e duabus speciebus constituto, omnes parasiticae Gentianearum species, florum structura fructuque quamvis abludentes, solis parasitismi characteribus congruae, adscriptae sunt, ita ut nunc generis character botanicus, additis speciebus, continuo mutatus et amplificatus, perquam vagus factus sit. Voyriae insuper species singulas, diversis Gentianearum generibus varia ratione affines, hac de re etiam non unico genere nunc comprehendendi posse, videtur.

Sepalis ad basin usque liberis et sub anthesi etiam basi subimbricatis genus in ordine peculiare, hac ratione Swertiearum *Centaurellam*, MICHX., *Pleurogynem*, ESCHH., *Anagallidium*, GRISEB., *Opheliam*, DON., ipsamque *Swertiam*, LINN., nec non Erythraeacearum *Cicendiam*, species scilicet sectionis *Hippocentaureae* quodammodo in mentem revocat, gynoecii autem structura, inflorescentia et stylo persistente manifesto diversum, rectius Lysianthearum subtribum constituit, prope *Hockiniam*, GARDN. collocandum.

1. *Voyriella parviflora*, l. c. — Inter folia dejecta Surinami.

II. LEIANTHOSTEMON. — (Voyriae Sectio, GRISEB. in DC. *Prodr.* 9. p. 85).

Calyx quinquefidus. *Corolla* hypocraterimorpha, *tubo* basi tumido, *limbo* quinquefido, marcescens, calycem longe superans. *Stamina* quinque, *filamentis* e medio circiter tubo liberis, *antheris* inclusis erectis sagittatis, *connectivo* haud exserto, *loculis* basi in setam productis. *Ovarium* oblongum, *stylo* elongato persistente, *stigmatibus* capitellato. *Capsula* incomplete bilocularis, medio dehiscens, *seminibus* oblongis vel subglobosis, testa areolata. — *Herbulae surinamenses radice* fibrosa, apice cymose floriferae, *floribus lilacinis* vel *albidis*, prope *Leianthum*, GRISEB., testante ipso Gentianearum Monographo, accedentes, filamentis, antheris dorsifixis stigmatibusque capitellato revera huic generi affines.

1. *Leianthostemon corymbosus* (SPLITG. in *Tydschr. v. Nat. Geschied. en Phys.* Tom. 7. p. 136. Tab. 2. fig. 4, sub *Voyria*), caule simpliciter, squamis oppositis ovatis, cyma terminali dichotoma fastigiata, floribus breviter pedicellatis, alari sessili, calycis lobis setaceis tubum vix superantibus, corollae lilacinae tubo subcylindrico tenui, lobis lanceolato-linearibus acuminatis duplo longiore. — In sylvis prope *Blaauweberg*, inter folia dejecta, m. Majo (SPLITG.). *Corolla* 6 lin. longa. *Filamenta* tenerrime puberula.

2. *Leianthostemon niveus* (Miq. in *Linnaea* Tom. 19. p. 140 sub *Voyria*), caule simplici vel dichotomo, squamis oppositis basi connatis, lanceolatis acuminatis, membranaceis, appressis, cyma terminali dichotoma contracta, floribus breviter pedicellatis, alari plerumque sessili, infra calycem bibracteolatis, calycis lobis lineari-filiformibus tubum superantibus, corollae albae tubo angusto tereti lobos anguste lanceolatos acuminatissimos duplo superante. — In sylva pl. *Berlyn*, m. Sept. fl. (Focke). — A praecedenti non solum florum colore, sed calycis lobis longioribus, corollae majoris lobis latioribus, nec non squamis caulinis differt. Exsiccatione albescit. Quoad inflorescentiam admodum ludit. — Caeterum *l. c.* fuse descripta.

III. LEIPHAIMOS, CHAM. et SCHLECHTEND. in *Linnaea* Tom. 6. p. 387. (Voyriae Sect., GRISEB. *l. c.*).

Calyx quinquefidus, basi nudus. *Corolla* infundibuliformis vel cylindrico-hypocraterimorpha. *Antherae* sessiles vel subsessiles, summo tubo insertae, nec basi nec apice productae. *Ovarium* oblongum, *stylo* stamina parum superante, *stigmatibus* capitellato. *Capsula* medio dehiscens. — *Herbae Novi Orbis calidioris, Mexici, Guianae, Brasiliae et Indiae occidentalis sylvas* habitantes, *radicibus* fibrosis foliis dejectis infixae, in systemate prope *Irlbachiam* et *Lisianthum* referendae.

a. Semina subglobosa.

1. *Leiphaimos uniflora* (LAM. *Dict. class.* 2. p. 642 sub *Voyria*). — *Guiana gallica, Surinamum* (HOSTM. n^o. 588), *insulae Indiae occidentalis*. — Ad hanc probabiliter pertinet *Voyria pallida*, GARCKE in *Linnaea* Tom. 22. p. 65. ad n^o. 458. *Hb. KEGEL.*, quae praesertim squamis oppositis ab *uniflora* differre perhibetur. *V. uniflorae* autem tum ex icone

JACQUINI tum e speciminibus herbarii proprii squamas fere omnes oppositas esse, olim jam monui (*Wis- en Natuurk. Tijdschr. I. Kl. d. Instit. Tom. 2. p. 123*).

2. ***Leiphaimos tenuiflora*** (GRISEB. in DC. *Prod. 9. p. 85. sub Voyria*). *Cayenne*.

3. ***Leiphaimos parasitica*** (CHAM. et SCHL. l. c.). *Voyria mexicana*, GRISEB. l. c. — *Mexicum*, in truncis putridis arborum.

4. ***Leiphaimos calycina*** (SPLITG. in DC. *Prodr. 9. p. 562. in nota, sub Voyria*. — V. *spathacea*, *ejusd. in Tijdschr. v. Nat. Gesch. l. c. p. 137. Tab. 2. fig. 5, haud LAM.*). — Prope *Blaauweberg Surinami*, m. Majo (SPLITG.); prope *Bergendaal*, m. Majo (Focke. — HOSTM. n. 1201. cum *L. aurantiaca*).

5. ***Leiphaimos spathacea*** (LAM. l. c. p. 771. *sub Voyria*). — *Guiana gallica*.

b. Semina fusiformia.

6. ***Leiphaimos aurantiaca*** (SPLITG. l. c. p. 135. Tab. I. fig. 3. *sub Voyria*). — *Voyria angustiflora*, STEUD. in *Flora Ratisb. 1843. p. 765*. — In *distr. Para Surinami* (SPLITG.). — *Herb. HOSTM. n. 1201*. — Huc forsitan *Voyria breviflora*, LAM.

7. ***Leiphaimos tenella*** (GUILD. in HOOK. *Bot. Miscell. 1. p. 46. Tab. 25. B. sub Voyria*). — *Insula St. Vincentii*.

c. Calyx deficiens. Semina fusiformia. Species dubia.

8. ***Leiphaimos? nuda*** (SPLITG. l. c. p. 134. Tab. 1. fig. 2. *sub Voyria*). *District. Para Surinami* (SPLITG.).

IV. DISADENA, MIQ. n. g.

Calyx basi nudus, breviter quinquefidus. *Corolla* infundibuliformis, *tubo* basi campanulato, *lobis* longiore. *Antherae* quinque sessiles. *Ovarium* sessile, basi utrinque *glandula* complanata instructum, *stylo* antheras parum superante, *stigmatē* (magno) revoluto crenato. — Genus *Tachiadeno*, *Tachia* et *Symbolantho* analogum.

1. *Disadena flavescens* (GRISEB. in DC. *Prodr.* 9. p. 85. sub *Voyria*). — *Herbula* humilis, *caule* simplici, *squamis* oppositis alternisque amplexicaulibus ovatis, *calyce* corolla quater breviorē, dentibus lanceolatis, *corolla* flava, limbi lobis oblongis obtusis.

V. PNEUMONANTHOPSIS. (*Voyriae* Sectio apud GRISEB. l. c. p. 85).

Calyx quinquefidus. *Corolla* hypocraterimorpha vel subclavata. *Stamina* quinque, *filamentis* partim liberis, *antheris* circa styli apicem connatis, utrinque obtusis. *Stigma* peltatum vel concavo-infundibuliforme. *Capsula*..... Genus floribus majusculis insigne, *antheris* connatis singulare, inter *Lysiantheas* analogo genere carens, capsula nondum cognita dubiae affinitatis, e longinquo *Gentianas synanthreas* in mentem revocat.

1. *Pneumonanthopsis clavata* (SPLITG. l. c. p. 133. Tab. I. fig. 1. sub *Voyria*). Rarissima in sylvis secus fl. *Saramacca* (SPLITG.).

2. *Pneumonanthopsis leucantha* (MIQ. in *Wis- en Natuurk. Tijdschrift* I. Kl. d. *Instit.* l. c. p. 124. sub *Voyria*). In *Surinami superioris* sylvis ad flumen *Tampati* (FOCKE).

VI. VOYRIA, AUBL. *Guian.* Tom. 1. p. 209.

Calycis basi tribracteolati quinquefidi *lobi* ovati vel lanceolati. *Corolla* hypocraterimorpha. *Antherae* quinque subsessiles, summo tubo ampliato insertae.

Stigma capitatum. *Capsula* tota inde ab apice dehiscens. — *Herbae guianenses* ramosae, *rhizomate tuberoso*, *sqamis* caulinis oppositis, floribus majusculis, ob calycem tribracteolatum *Coutoubeae* analogae, vix tamen revera affines.

1. *Voyria rosea*, AUBL. l. c. — *Guiana gallica*.
2. *Voyria coerulea*, ejusd. l. c. *Ibidem*.
3. *Voyria acuminata*, BENTH. — *Guiana anglica*.

L O G A N I A C E A E.

SPIGELIA, LINN.

1. *Spigelia multispica* (STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 764), herbacea, caule elatiore tereti glabro, foliis breviter petiolatis subcoriaceis, versus apicem ciliolato-denticulatis, caulinis oppositis, summis ramulorumque terminalium quaternis, ovato-oblongis oblongisve, attenuato-acutis, basi cuneata in petiolum decurrentibus, venis adscendentibus, spicis terminalibus 3—8, a basi inde floriferis, floribus subunilateralibus, calyce corollaque (rosea) subinaequalibus, filamentis medio tubo insertis, capsula muricata.

In Surinamo interiore legerunt cl. FOCKE atque HOSTMANN (nº. 851^a et 1172).

Statura grandiore, florum structura et colore a *Sp. anthelmia* L. satis differre videtur. *Caules* 1—2-pedales, teretes, striulati, uno duobusve foliorum jugis instructi, superne simplices vel ex summorum foliorum axillis spicas ramulosque apice 4-foliosos spicigerosque proferentes. *Folia* subtus pallida, margi-

nibus scabra, *summa* 4—5 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ lata, *ramulorum* et *caulis inferiora* minora, omnia brevi *petiolo* sustenta. *Spicae* defloratae majores, 5—7 poll. longae. *Bracteae* lineares. *Calycis lobi* lineares, unus reliquis aliquid longior, sub lente obscure ciliolati. *Corolla* fere 3 lin. longa, *limbo* aliquatenus inaequali, *dentibus* triangulari-acute, glabriusculis. *Antherae* lineares, apice emarginatae, basi bifidae. *Styli* pars dimidia superior muriculata, *stigma* minutum concavum. *Capsula* dicocca, *cocci* obovoideis, muricatis. *Semina* obovoideo-turbinata dense papillosa. *Discus* oblongus laevis, centro excavatus.

TAB. XLIII. Planta integra, floribus et capsulis instructa, nat. magnitudine. *a.* flos; *b.* corollae tubus apertus; *c.* stylus cum stigmate; *d.* stamina; *e.* discus capsulifer; *f.* capsula dehiscens; *g.* immatura longitrorsum aperta; *h.* valva bifida cum placentis; *i.* placentae seminiferae; *j.* semen.

2. *Spigelia anthelmia* (LINN. *Amoen. Acad.* Tom. 5. p. 140. Tab. II), herbacea glabra, foliis sessilibus, inferioribus oppositis, summis quaternis, ovato-oblongis lanceolatisque utrinque acuminatis, membranaceis, spicis 1—4, corolla carnea aequali, calycis lobis foliisque tenerrime ciliato-serulatis, capsulis muricatis. — *Sp. nervosa*, STEUD. in *Flora Ratisb.* 1843. p. 764. ad n. HOSTM. n^o. 505.

In *Guiana*, *Brasilia*, *India occidentali*.

Planta $\frac{1}{2}$ —1-pedalis, variabilis. *Folia* summa tripollicaria. *Flores* subuni-laterales.



A P O C Y N E A E.

ECHITES, P. BROWNE.

1. *Echites hirsuta* (RICH. *Pl. Lebl. in Act. Soc. Hist. nat. Paris.* 1792. Tom. 1. p. 107).

Stirps in omni *Guiana* haud rara, variabilis, a cl. FOCKE in regionibus circa *fl. Commewyne* lecta et in HOSTM. et KAPPL. *Herb. sub* n^o. 1605 distributa est.

Synonyma sunt: *E. tomentosa*, VAHL. *Symb.* 3. p. 44. (a. 1794). — *E. hirsuta latifolia*, STADELM. in *Flor. Ratisb.* 1841. *Beiblätt.* p. 27, haud RUIZ et PAV. — *E. lasiocarpa*, A. DC. *Prod.* 8. p. 463.

Caules volubiles teretes, inferne saltem lignescentes et angulati, pilis rigidulis partim crispis scabriuscule hirtis, deinde iis deciduis asperuli, internodiis 3—5-pollicaribus. *Petioli* semiteretes, 2-plerumque 3, raro 4 lin. longi, dense hirtelli, glabrescentes, basi quidem dilatati, nec tamen in stipulas setasve expansi. *Folia* crassiuscule membranacea, vulgo oblongo-ovata, in acumen modicum lineari-lanceolatum acutum rectum vel subobliquum abrupte contracta, versus basin saepe aliquantulum angustata, cordata vel fere sagittato-cordata, lobis subauriculatis convergentibus petioli circiter longitudinis, marginibus undulata, supra saturate viridia, juniora pilis mollibus appressis hirtella, adulta rigidioribus partim deciduis, verruculam relinquentibus, scabriuscule pilosula, subtus pallidiora, pilis densioribus juniora villosa, senescentia pilis praesertim in costa venisque remanentibus patulis scabriora, venis circiter denis patulis reticulatis demum subscrobiculata, 2—3-fere 4 poll. longa, 1—2 in medio lata; in aliis ejusdem stirpis ramis folia sunt minor, angustiora et glabriora (probabiliter var. β STADELM. l. c.). *Innovationes* incano-subsericeae. *Racemi* axillares solitarii, haud oppositi, *pedunculis* 1—1½ pollicaribus parce hirtellis racemum ipsum vulgo superantibus, 3—6-flori. *Flores* alterni vel suboppositi, *pedicellis* 1½-plerumque 3 lin. longis hirtellis, *bracteis* lanceolato-linearibus membranaceis uninerviis pubescentibus ciliolatis, 3—4 lin. longis, caducis. *Calyx* fere ad basin 5-partitus, *lobi* membranacei lineari-lanceolati sursum attenuato-acutati, juniores dense, sub anthesi sparse pilosi subciliati, mox in quibusdam speciminibus fere glabri, 2½—3 lin. longi, aequales, basi in brevem *tubum* ovoideum coaliti, intus basi *ligula* parva triangulari acuta integra membranacea aucti, sub folliculo decidui, tubo urceolato-globoso indurato persistente. *Corolla* lutea, in alabastro clavato-acuto albo-villosa, sub anthesi 2½ pollicaris, *tubo* angusto pollicari albo-hirtulo, intus apice staminifero infraque stamina pilis reversis densis albo-hirta, *limbi* parte inferiore indivisa (quam in hac aliisque tubo annumerant plures auctores, unde multa confusio) obconico-campanulata, extus parce hirta, intus glabra, *lobis* obovato-rotundatis patulis fere glabris, uno margine circi-

ter ad $\frac{1}{2}$ alt. dente pilosulo auctis indeque deorsum margine pilosulis, caeterum intusque glabris. *Stamina* in infundibuli illius basin pertingentia, tubi parti summae autem inserta, *filamentis* brevissimis complanatis ovato-ellipticis basi apiceque (cum anthera articulatum juncto) constrictis, antice albo-hirtis, postice glabris. *Antherae* lanceolatae, basi subcordatae, *loculis* cartilagineis pallidis, inferne vacuis et vix apertis, superne rima longitudinali antice hiantibus, *connectivo* triangulari membranaceo superatis, dorsum loculorum dimidium obducente. *Ovaria* oblongo-conica conniventia, *glandulis* 5 ovoideis obtusis ea aequantibus circumdata. *Stylus* filiformis basi simplex, *stigma* papilloso-conicum, *umbraculo* inferne circumdatum 5-lobato: lobis lanceolatis membranaceis undulatis. *Folliculi* circiter 5-pollicares, teretes, torulosi vel subtorulosi, leviter curvati, apicibus saepe cohaerentes, pilis rigidis scabro-hirtelli, subcoriacei, intus albidus. *Semina* elliptico-lanceolata, praesertim basi acuta, *coma* semen superante ochracea vel flavida.

Observ. *E. tomentosae* A. DC. l. c. (Vahl.) var. β *latecordata* ut et *specimen cuyabense E. lasiocarpae*, ej., species proprias sistere videntur.

TAB. XLIV. Ramus florens, et fructifer, nat. magnitudine.

a. calyx intus cum glandulis, ovario et stylo; b. tubus corollinus intus cum genitalibus; c. stamen intus et extus; d. stigma; e. semen immaturum, auct. et nat. magn. Reliquae figg. omnes auctae.

2. *Echites bicolor* (n. sp.), caulibus tenuibus hirtellis sensim scabrescentibus, foliis breviter petiolatis, ovatis vel ovato-ellipticis, breviter acute acuminatis, basi rotundata sinu parvo emarginatis, supra nitidis subasperulis in costa pilosis rariterque glandulosis, subtus subsericeo-pubescentibus, venis circiter 7^{nis} nitidis, racemis axillaribus solitariis folium aequantibus vel superantibus crassis spicaeformibus puberulentis glabrescentibus, bracteis lanceolatis pedicellum brevem calycemque longe superantibus, calycis lobis linearibus inaequalibus puberulis, basi intus ligula lata obtusa vel vix subdenticulata auctis, corollae tubo tenere puberulo, parte inferiore limbi parum dilatata, lobis ovatis acutiusculis tubo brevioribus.

In apricis *Surinami superioris*, m. Majo florentem legit cl. Focke. »Flos flavus, fundo purpureo.»

Species pulchra, prope *E. spectabilem*, STADELM. l. c. p. 44. A. DC. *Prodr.* Tom. 8. p. 462 inserenda videtur.

Caules fusci, *internodiis* 4—6-pollicaribus, *nodis* marginatis, bistipulaceis vel setosis. *Petioli* 3 lin. longi, antice sulcati ciliolati, dorso convexo glabri, in sicco fusci. *Folia* membranacea, supra laevia sed tactu tamen subasperula, subtus cana vel fuscescenti-pubescentia, juniora subtomentosa, pilis tamen haud valde densis, costa nitida glabra castanea venisque arcuato-patulis ante marginem unitis, tertiariis quaternariisque tenuiter reticulatis, pertensa, majora 5—5½-poll. longa, 2¾ lata, basi quasi breviter auriculata, minora ipsaque juniora saltem rotundata. *Racemus* 5-pollicaris, parte ⅓ inf. nuda, *axi* crasso carnosio puberulo; *flores* densi, superiores nondum efformati; *bracteae* membranaceae puberulentae, marginibus scarosae, deciduae, pedicelli basin amplexantes, 3 lin. longae. *Pedicelli* 1 lin. longi, saepe breviores. *Calyx* lineam longus, basi indivisa tumidulus, 5-partitus, lobis inaequilongis, lanceolato-linearibus acuminatis, tenerrime puberulis vel fere glabris, dorso subcarinatis, *ligulis* planis brevibus. *Nectarium* e quinque glandulis connatis, *ovariis* ovoideo-acutis aliquid brevioribus. *Stylus* a basi inde simplex. *Corollae* tubus usque ad faucem (i. e. inclusa parte indivisa limbi parum distincta) fere 10 lin. longus, fere aequaliter cylindraceus, staminibus ad ⅔ alt. insertis, parte ⅓ superiore parumper tantum, vix subinfundibuliformiter dilatata, intus infra stamina albo-hirsutus, versus basin glaber. Partes reliquas haud intactas non examinavi.

3. *Echites surinamensis* (n. sp.), caulibus junioribus tenerrime puberulis, adultis glabris, fuscis, nitidis, foliis elliptico-oblongis vel lanceolatis, breviter acute acuminatis, basi rotundatis, supra ad basin ligula (glandula) bicuspidata instructis, rigide membranaceis, glabris, nitidis, subtus pallidioribus, venis octonis subobsoletis, membranula interpetiolari bidenticulata, pedunculis axillaribus brevibus vulgo bifidis: ramis racemosis glabriusculis, bracteis ovato-rotundatis obtusis membranaceis subciliolatis, calycis quinquefidi lobis ovatis obsolete subciliolatis, corollae tubo cylindrico apice staminifero, limbi partem infimam obconicam fere aequante.

Herb. HOSTM. n°. 1102.

Habitu *E. torulosam*, JACQ., refert, notis gravioribus differt; in § 2. B. *apud* ALPH. DC. l. c. inserenda.

Caules pennam passerinam aequantes. *Petioli* semiteretes, 2 lin. longi. *Folia* 2—2 $\frac{3}{4}$ poll. longa, $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ —1-poll. lata. *Pedunculus communis* $\frac{1}{2}$ -pollicaris, *rami* pollicares vel longiores densiflori. *Pedicelli* vix 4 lin., puberuli, glabrescentes. *Calyx* campanulatus, ad $\frac{1}{2}$ long. 5-fidus, $\frac{1}{2}$ lin. fere longus, ligulis intus ovatis acutis, ut videtur solitariis. *Corollae tubus* in alabastro circiter pollicaris, parte dimidia inferiore angustiore, superiore, in quam stamina pertingunt, dilatata sed cylindrica haud infundibuliformi (refert tamen limbi partem infundibuliformem in plerisque speciebus). *Limbi lobi* in coniformam convoluti. *Antherae* sagittatae supra anulum pilosum insertae. *Nectarium* e quinque glandulis obtusis, ovariis paulo brevioribus.

4. *Echites disadena* (n. sp.), ramulis glabris, foliis coriaceis utrinque glabris, oblongo- vel ovato-ellipticis, breviter acutiuscule apiculatis, basi obtusis ibique in pagina superiore ligula crassiuscula ovata integra concava quasi duplicata (consimilem aliam scil. valvatim obtegente) instructis, venis circiter octonis erecto-patulis tenuibus sparse reticulatis, racemis fere axillaribus brevissime vel longiuscule pedunculatis, brevibus, pedicellis calycem fere ter superantibus valde contortis, calycis quinquefidi lobis ovatis vix acutiusculis ciliolatis, corollae tubo cylindrico partem superiorem (seu limbi inferiorem) dilatatam aequante, folliculis digitalibus teretibus leviter curvatis, seminum coma flavescente.

Herb. Hostm. n. 549.

Species praecedenti proxima, sed certe diversa. Specimen suppetens haud satis perfectum. *Petioli* 2 lin., *folia* 2 $\frac{1}{2}$ -fere 3 poll. longa, 8—9 lin. lata; *inflorescentia* cum pedunculo 1—2 poll. *Bractee* ovatae. *Calyx* fere 1 $\frac{1}{3}$ lin. longus. *Corollae alabastrum* pollicare. *Folliculi* 4 $\frac{1}{2}$ poll. longi, pennam corvinam crassi.

HAEMADYCTION, LINDL.

1. *Haemadyction annulare*, A. DC. *Prodr.* Tom. 8. p. 428.

Prope urbem *Paramaribo* florens fructiferumque legit cl. Focke, m. Decembris.

Echites annularis, LINN. *fil. Suppl. pl.* p. 166, e specimine surinamensi proposita, hanc usque in diem latuit et cum dubitationis signo, recte tamen *Haemadyctio* a cl. ALPH. DC. adscripta, denuo ab indefesso amico detecta, fusius describetur:

Caules volubiles, striulato-sulcati, tactu asperiusculi, pennam corvinam crassi, internodiis spithameis et longioribus. *Petioli* marginulo utrinque denticulato juncti, teretiusculi, antice sulcati, 3—4 lin. longi, patentes. *Folia* patentia vel deflexa, lanceolato-oblonga, aequilatera, in acumen modicum rectum acutiusculum desinentia, basi, licet parumper angustata, obtusa, 7—8 poll. longa, $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, rigide membranacea, supra laete viridia laevia, subtus pallida, costa crassa venisque costalibus septenis vel octonis patule arcuatim adscendentibus, venisque tertiariis prominentibus denique fere scrobiculata, tactu quasi asperula. *Racemi* haud plane axillares, rectius laterales dicendi, uno folio tamen magis approximati, *pedunculo* deflexo pollicari sustenti, solitarii, in *ramos* duos racemosos pedunculum superantes partiti, pube tenerrima fugaci inspersi. *Bractee* caducae. *Pedicelli* cum pedunculo articulati, tenues, 4 lin. longi. *Calycis lobi* glabri, colorati, lineari-lanceolati acuti, fere semipollicares. *Corollae tubus* 4—5 lin. longus cylindricus, glaber, *apex* in alabastro globoso-conicus. *Faux* membranula reversa annuliformi repandula cincta. *Limbi lobi* tubo $\frac{1}{2}$ breviores, subrotundati, emarginulati. *Antherae* tubo infra faucem insertae, apicibus usque ad membranam faucis pertingentes, conniventes, sagittatae. *Stigma* obtusum annulatum. *Nectarium* e quinque glandulis ovoideis conniventibus, ovarium aequantibus. *Folliculi nascentes* lineares, glabri, apice compresso-dilatati, *dein cito elongati*, tenuissimi, pede longiores, in quavis inflorescentia pauci tantum vel solitarii, *pedicello* incrassato sustenti, calyce deciduo, ejus margine tantum glandulisque increscentibus, suffulti, $1\frac{1}{3}$ pedales, utrinque attenuati, apice cohaerentes, teretes, membranacei, virides, laeves, medio vix 4 lin. crassi. *Semina* lineam aequantia, apice aliquid attenuata, medio $\frac{1}{2}$ lin. lata, striata, pallida, *coma* bipollicari.

ANISOLOBUS, A. DC.

1. *Anisolobus Kappleri* (Miq. in *Linnaea* Tom. 18. p. 737). Hujus loci etiam sunt n. 1201 et 1203 *Herb. Hosrm.*, quae specimina *foliis* rigidioribus, crassioribus, paullo minoribus, $4\frac{1}{2}$ —5 poll. longis. *Squa-*

mae stipulaceae utrinque ad petiolorum basin appressae, ovatae. *Ligulae* sepalorum 5 interiorum bifidae. In *sp.* KAPPL. *folia* quaedam obtuso-acuminata, acumine emarginato. *Corolla* intus ex staminum insertione deorsum pilosa. *Nectarium* ovoideum, ore subcontracto eroso-denticulatum, *ovaria* ovoideo-acuminata paullo superans. *Stigma* conicum, basi truncata fere marginatum, ut videtur bisulcum, an bifidum lobis conniventibus? — Huic speciei proxime accedit sequens.

2. *Anisolobus puncticulosa* (Miq.), ramis obtuse tetragonis verrucosis, foliis modice petiolatis, oppositis aequalibus, ovatis vel elliptico-ovatis abrupte breviter acuminatis, acumine lato et emarginato, coriaceis, venis circiter denis subtusque reticulatis, squamis stipulaceis ovatis appressis deciduis, corymbo terminali cymoso coarctato pedunculato tenerrime puberulo, sepalis lato-ovatis obtusis, exterioribus puberulentis, interioribus parumper majoribus magis scariosis et glabrioribus, nectario ore contracto obsolete repando-denticulato.

HOSTM. et KAPPL. n^o. 629^a.

Puncticulosam dixi, quia haec mihi omnino eadem species videtur quam cl. ERN. MEYER, qui specimina etiam ab HOSTMANNO habuit, sub *Echitae puncticulosae* nomine in *Nov. Act. Nat. Cur.* Tom. 12. p. 782 descripsit, quinque eandem credit ac homonymam RICHARDI in *Act. Soc. Hist. Nat. Par.* 1792. p. 107. Descriptio enim accurata satis specimen meum licet varia ratione deficiens refert, et certo, nisi eandem, valde affinem tamen Anisolobi speciem exhibet.

Rami pennam anserinam crassi, cinerei, *verrucis* asperi, internodiis circiter pollicaribus. *Petioli* 2—3 lin. longi, antice canaliculati, in sicco nigrescentes. *Folia* basi rotundata, plerumque tripollicaria, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$, vix 2 lata, in sicco rigida, fusca, subtus pallida, marginibus leviter incurva. *Inflorescentia* foliis brevior, *bracteis* ovatis puberulis. *Calyx* fere 2 lin. longus. *Corollae* partim destructae *tubus* pollicaris, *lobis* longioribus.

3. *Anisolobus Hostmanni* (n. sp.), ramulis subcylindricis verruculo-
loso-asperis, foliis modice petiolatis, oppositis aequalibus, ellipticis utrinque
obtusiusculis, coriaceis, venis novenis vel denis tenere reticulatis, squamis
stipulaceis ovalibus deciduis, corymbis axillaribus (an et terminalibus)
brevissime pedunculatis folio brevioribus puberulis, lobis calycinis ovatis
obtusis puberulis, exterioribus paule brevioribus, interioribus glabrioribus,
basi ligulis bifidis, corollae $2\frac{1}{2}$ -pollicaris tubo tenui, limbi basi obconica
tubum paulo superante, lobis ovatis rotundatis.

HOSTM. *Herb.* n^o. 357.

A. Kappleri et *A. Fockei* affinis, foliorum forma distinguenda; a prae-
cedente specie foliis majoribus, calycibus minoribus, tubo corollae tenuiore
et infra antherarum insertionem haud vel vix constricto, satis recedit.

Petoli antice sulcati, 2—3 lin. longi. *Folia* $3\frac{1}{2}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$ paulo
latiora, rigida, supra nitida costaque sulcata, subtus fuscescencia, venis erecto-
patulis prominentibus venulisque tenerioribus reticulatis. *Pedunculus commu-
nis* axillaris, basi bracteatus, vix $\frac{1}{2}$ poll. longus. *Corymbus* cymose trichoto-
mus, *pedunculo* triplo circiter longior, *bracteis* ovatis acutiusculis puberulis
caducis. *Pedicelli* semipollicares, sulcato-angulati. *Calyx* 1 lin. longus, basi
subtruncatus, *lobis* 2 exterioribus densius puberulis, omnibus ciliolatis; *li-
gulae* loborum trium interiorum singulorum 2 bifidulae vel bidentatae (vix
tamen constanter ita in omnibus), duorum exteriorum nullae vel aliquando
exilissimae, rudimentariae. *Corollae tubus* semipollicaris, *limbi pars infun-
dibuliformi-conica* fere pollicaris, *lobi* 6 lin. longi. *Alabastra* subclavata,
apice conica, extus glabra, intus infra stamina pilosa. *Antherae* sagittatae,
acutatae, dorso hirtellae, conniventes. *Ovaria* conniventia, *nectario* conico
fere integerrimo.

4. *Anisolobus Fockei* (n. sp.), ramis obtuse tetragonis verruculosis,
foliis breviter petiolatis, oppositis aequalibus, ovato- vel oblongo-ellipticis,
obtusely apiculatis, basi majorum inaequali vel (minorum) aequali acutius-
culis, subcoriaceis, venis erecto-patulis circiter denis, tertiariis quaterna-
riisque tenerrimis fuscis reticulatis, squamis stipulaceis ovatis acutiusculis

ciliolatis ligulas setiformes brevissimas interpetiolares obtegentibus, deciduis, corymbis axillaribus vulgo oppositis, inferioribus longiuscule, superioribus breviter pedunculatis, trichotomis, puberulis, bracteis ovatis puberulis ciliolatis, calycis lobis obtusis ciliolatis, corollae tubo basi tumidulo infra limbi partem infundibuliformem leviter constricto.

Locis sylvaticis Surinami cl. Focke legit.

Internodia 3—3½-poll. longa. *Petioli* saepe leviter curvati, 2—3 lin. longi. *Folia* majora basi semper aliquantum inaequalia et vulgo quodammodo inaequilatera, 5—5½ poll. longa, 2½—2¾ lata, superiora minora; in sicco supra castaneo-fusca. *Pedunculi* vere axillares, 1½—½ poll. longi. *Calyx* 5-fidus; *lobis* ovatis acutiusculis puberulis apice ciliolatis, interioribus glabrioribus, obtusioribus et paullo longioribus. *Corollae tubus* (sensu strictiore) 4 lin., *pars limbi infundibuliformis* 1 poll., *lobi* 5 lin., obovato-rotundati; tubus intus infra antheras pilosus. *Antherae* sagittatae, conniventes, hirtellae.

Adnotationes. *Anisolobi* generis characteres, post species heic propositas, quoad ligulas calycinas nectariumque aliquatenus sub incudem revertentur! Manifesta autem est ejus cum *Echitae* necessitudo et huic generi magis cognatum crederem quam *Plumierae*, cui Candolleus *fil.* affine putat, praesertim Salzmanni annotatione, qui folliculos iis Plumierae similes dicit, innixus. Nullus autem botanicus hucusque *Anisolobi folliculos* descripsit. Arcta est specierum descriptarum cum *Orthocaulo*, *sectione Echitae*, affinitas, interque species hujus sectionis plures esse, quae Anisolobo subscribi debent, nullus dubito, imo fortassis tota illa sectio, paucis exceptis, cum Anisolobo jungenda. Sic ipsa *Echites Cururu*, Mart., Stadelm. in *Flora Ratisb.* 1841, *Beyblätt.* p. 78. *var. α*, comparata auctoris descriptione, eadem videtur ac *Anis. Kappleri*; nec *Echites cognata* Stadelm. l. c. p. 79 ab *Anisolobo Salzmanni*, A. DC. *Prod.* l. c. p. 595 multum differat.

Anisolobi, quale hoc genus mihi fingo, speciebus *communis habitus* est e *caulibus* cinereis, aspero-verruculosis, *squamis* stipulaceis ovatis

appressis, *foliis* oppositis aequalibus, glabris (non glandulosis), costiveniis reticulatis, obtuse apiculatis, *inflorescentiis* terminalibus axillaribusque, characteres vero differentiales, quibus genus ab *Echitae* differt, e *ligulis* calycinis, *nectario* urceolato-annuliformi, *stigmatē* conico, caet. petendi.

MALOUETIA, ALPH. DC.

1. *Malouetia albiflora* (MIQ. *mss. in sched.* KAPPL.), arborea, ramulis obtuse tetragonis, foliis breviter petiolatis, ovato-vel elliptico-oblongis acutiuscule acuminatis, basi lata leviter inaequali brevissime acutis, coriaceis, glabris, marginibus leviter incurvis, venis 12^{nis}—15^{nis}, subhorizontaliter arcuatis, pedunculis brevibus, pedicellis basi bracteatis calycem aequantibus vel eo quinquies longioribus, calycis lobis elliptico-lanceolatis acutis sub lente vix ciliolatis, corollae albae tubo glabro basi dilatato, lobis elliptico-lanceolatis acutis, intus vulgo basi pubescentibus, aliquid brevioribus, faucis coronulae dentibus brevissimis, antherarum apicibus incurvulis exsertis.

Arbor floribus albidis, locis humidis secus flumen *Commewyne*, m. Augusto (KAPPLER n. 1825; n. 444a *forma* foliis basi aliquid acutioribus, pedicellis longioribus).

Ab *M. Tamaquarina* florum colore, corollae tubo glabro, pedicellis vulgo brevioribus distinguitur, proxima tamen est.

Ramuli nascentes compressiusculi. *Petioli* antice acute marginati, canaliculati, 1- vix 2 lin. longi, marginulo conjuncti. *Folia* supra nitida, subtus pallida, 4—6 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ infra medium lata, basi quidem lata, sed ipsa imo obliquiuscule acuta. *Pedunculi* vulgo brevissimi, apice *bracteis* ovatis *pedicellos* 3—6 subumbellatos stipantibus. *Pedicelli* vel brevissimi vel pollicares. *Calyx* 1 lin. paulum superans, quinquefidus. *Corollae tubus* 3 lin. longus striatus, basi subventricosus, extus glaber, intus infra staminum inser-

tionem per series pilosus, *lobi* fere semipollicares, patentes, reticulati, intus versus faucem pubescentes. *Faux* ipsa haud nuda, sed *coronulae lobulis* brevissimis subcallosis glabris subbipartitis, *corollae lobis* oppositis, marginata. *Antherae* sagittatae, dorso pilosulae, glabrescentes. *Ovaria* dense pilosa. *Nectarium* quinquelobum, *lobis* truncatis, ovaria circiter aequans.

TAB. XLV. Ramus florens, magnitudine naturali.

a. flos; b. anthera antice et postice, c. eadem e latere; figurae auct. magn.

Adnot. Specimen n. 444 herb. HOSTM. et KAPPL., quod tanquam formam minorem *M. Tamaquarinae* in schedula olim notavi, potiori jure ad *M. odoratam*, DC. l. c. p. 379, referendum videtur. Partibus omnibus paulo minoribus, floribus gracilioribus, praesertim corollae tubo tenuiore ac glabro, ab illa specie recedit. *Ramuli* in sicco fuscescentes, juniores leviter compressi. *Petioles* brevissimi, marginulo conjuncti. *Folia* coriaceo-membranacea, subtus pallidiora, lanceolato-elliptica, in acumen subobliquum subacutum terminata, basi acuta, quadripollicaria, 10 lin. lata, venis octonis vel novenis. *Pedunculus communis* fere deficiens; *pedicelli* pauci, circiter pollicares, graciles, glabri. *Calycis lobis* ovato-elliptici acuti, serius sublanceolati, sub lente ciliolati. *Tubus corollae* 2 lin. paullo superans, glaber, sursum attenuatus; *lobis* longiores, lanceolato-lineares acutiusculi, sub lente pilis teneris sparsis inspersi, intus versus basin densioribus. *Faucis* calli quinque brevissimi obtusissimi glabri. *Antherae* dimidium exsertae, dorso pilosae. *Folliculi* 5½ poll. longi, teretes, laeves, ventre dehiscentes. *Semina* teretia, utrinque truncata, sulco profundo longitudinali exarata.

2. *Malouetia obtusiloba* (ALPH. DC. *Prodr.* Tom. 8. p. 379), foliis elliptico lanceolatis obtuse acuminatis, basi acutis, coriaceis, glabris, marginibus incurvis, cymis ex axillis foliorum et dichotomiarum, quandoque ad apicem pedunculi communis et inter flores foliatis, bracteis squamaeformibus obtusis, pedicellis flore sublongioribus, calycis lobis ovatis obtusissimis

ciliolatis, corollae lobis lanceolato-oblongis acutis, intus basi pubescentibus, tubum apice puberulum superantibus, fauce calloso-quinquedenticulata, denticulis quibusdam subbifidis, antheris subexsertis glabriusculis, nectario semiquinquefido.

HOSTM. *Herb.* n. 269, specimen archetypum a CANDOLLEO l. c. breviter descriptum.

Rami cylindracei; *ramuli* subcompressi; *nodi* marginulati. *Petioli* 1—2 lin.; *folia* in meis $1\frac{2}{3}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. longa, 4-fere 6 lin. lata, ex DC. 3 poll. longa, 10—12 lin. lata, petiolo 3 lin. longo sustenta; nitida, rigida, costa subtus prominente, venis quinque senisve teneris patulis. *Pedicelli* 5—8 lin. longi, e *pedunculo communi* brevissimo axillari vel ramulum parcefoliatum terminante, bracteisque concavis carnosissimis instructo, subumbellati. *Calycis lobi* tenerrime ciliolati. *Ligulae* ovatae, nunc denticulatae. *Alabastra* apice conico-acutata. *Tubus corollae* 3 (DC. 4) lin. longus, sursum angustatus; *lobi* tubum superantes, patentes, intus versus basin pilosuli, marginibus subciliolati, in *alabaastro* dorso pilis paucis teneris inspersi; *faux* denticulis 5 brevibus acutiusculis callosis instructa. *Antherae* sagittatae, acutae, breviter exsertae. *Ovaria* pilosa nectarium subaequantia. *Stigma* subconicum, per intervalla, in sicco, sulcatum.

TAB. XLVI. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. alabastrum; *b.* flos; *c.* tubus corollinus intus cum genitalibus et coronula faucis; *d.* stamen antice et postice; *e.* gynoeceum cum nectario; *f.* stigma. Figurae vario gradu auctae.

Adnotatio. Generis caeteroquin naturalis characteres quoad corollae faucis coronulam, a praeclaro auctore haud commemoratam, locupletandos esse, vix est quod moneam. Cacterum quem nunc tenet inter reliqua ordinis genera, locum servabit.

TABERNAEMONTANA, PLUM.

1. *Tabernaemontana tetrastachya* (H. B. K. *Nov. Gen.* Tom. 3. p. 227. ALPH. DC. *Prodr.* Tom. 8. p. 368), glabra, foliis breviter petiolatis,

oppositis vulgo magnitudine aliquid inaequalibus, elliptico-oblongis acute acuminatis, basi acutiusculis vel subcuneatis, subcoriaceis, patule multicostratis, inflorescentiis axillaribus vulgo geminis pedunculatis folio multum brevioribus, bis dichotomis: ramis bracteatis racemosis, floribus densis pedicellatis, lobis calycis oblongo-ovatis obtusiusculis puberulis glabrescentibus, corollae albae suaveolentis tubo intus piloso, supra medium staminifero.

Frutex in Surinamo ut videtur, haud rarus, floribus albis, teste cl. Focke, Vanillae odorem spirantibus.

Olim formam *grandifoliam* Herb. Kappleriani n^o. 1627 sub *T. guianensis* nomine proposui (*Linnaea* Tom. 18. p. 754), multis autem specimenibus denuo comparatis nil nisi *tetrastachyae* formam exhibere video, imo speciem ipsam Kunthianam eandem esse ac *Echitam syphiliticam*, LINN. *fil. Suppl.* p. 167, ex specimine surinamensi propositam et propter virtutes medicas ita dictam, persuasum habeo. *Folia* haud raro pedalia, 4½—5 poll. lata, *petiolo* mox brevi, mox 3—6 lin. longo, suffulta, costis 15^{nis} patentibus validis. *Ligulae* vulgo 1—3 singulo lobo calycino, extimis lobis quandoque exceptis. *Antherae* sagittatae.

PESCHIERA, ALPH. DC.

1. *Peschiera diversifolia* (n. sp.), ramulis tetragono-compressis, junioribus subhirtellis, foliis brevissime petiolatis vel subsessilibus, membranaceis, glabris, oppositis magnitudine saepeque forma dissimilibus, majore oblongo basi cuneato, minore elliptico vel subovato, omnibus oblique subacute acuminatis basiue inaequalibus, venis octonis vel denis, racemulis ex axillis foliorum vel dichotomiarum brevibus umbellatis, pedicellis pedunculum superantibus, calycis lobis lanceolatis acutis, corollae tubo gracili elongato lobos lanceolato-ellipticos acutos ter superante.

Frutex elatior floribus albis, prope plantationem *la Rencontre* (Focke).
Herb HOSTM. n^o. 9 et KAPPL. 1632.

Rami tenues teretes pallidi glabri, *ramuli* pilis brevibus patulis; *petioli* marginulo conjuncti, majorum 2, minorum $1 - \frac{1}{4}$ lin. longi aliquando prorsus deficientes. *Folia* supra saturate viridia, subtus pallida, tenuiter membranacea, in sicco marginibus leviter incurva, hinc fere erosula, acumine vulgo obliquo, majora 4 poll. longa, $1\frac{1}{3} - 1\frac{1}{2}$ lata, minora $1\frac{1}{2} - 2\frac{1}{2}$ poll. longa. *Stipulae axillares* parvae caducae membranaceae. *Ramuli* oppositi, cum foliis ipsis caulinis proximis decussati, haud ex horum axillis sed ex iis stipularum lanceolarum serius deciduarum (folia depauperata?) protrusi. *Pedunculus communis* 1—3 lin. longus, ex apice bracteato (*bracteis* ovatis acutis) *pedicellos* $\frac{1}{4} - \frac{1}{2}$ -raro 1 poll. longos, exserens. *Calycis lobi* virides, patuli, $\frac{1}{3} - \frac{1}{2}$ lin. longi. *Corollae tubus* 5 lin. longus, basi tumidulus, caeterum tenuis glaber, intus sparsis pilis inspersus. *Stamina* ima basi inserta, *filamentis* brevissimis adnatis, apice breviter libero glabriusculis, *antheris* sagittatis acuminatis glabris. *Ovaria* oblongo-conica, *nectarium* breve e glandulis 5? subcohaerentibus.

TAB. XLVII. Ramuli floribus et immaturis folliculis praediti.

a. flos; b. calyx cum ovario et nectario; c. tubus corollae intus; d. stamen a ventre et dorso. Figurae auctae.

2. *Peschiera? albiflora* (n. sp.), ramis teretibus, ramulis subtetragonis, quadrimarginulatis, glabris, foliis brevissime petiolatis, oppositis aequalibus, oblongis ellipticisve in acumen subfalcatum acutiusculum abrupte terminatis, basi aequali acutis, membranaceis, glabris, venis arcuato-patulis circiter vicenis, stipulis interpetiolaribus connatis petiolos jungentibus ovatis acutis coriaceis, inflorescentia pedunculata axillari bifurcata bracteata racemosa, pedicellis brevibus, calycis lobis lanceolatis puberulis vel glabriusculis, intus haud glandulosis, corollae glabrae tubo elongato tenui, medio antherifero, lobis tubum aequantibus ovato-oblongis acutiusculis.

In sylvis regionum interiorum secus *flumen Suriname* prope statio-

nem Victoria, m. Octobri; » succus luteus; florens albi" (KAPPLER n. 1312).

Genus, fructu deficiente, incertum; propter eximiam cum reliquis speciebus similitudinem, *Peschierae* subscripsi.

Striae elevatae, quasi alae abortivae, 4, secus ramulos decurrunt. *Petioli* antice canaliculati, vix 1 lin. longi. *Folia* subtus paulo pallidiora, marginibus vulgo undulata, 4—5 poll. longa, $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{3}{4}$ lata, basi quandoque subacuta. *Pedunculi* bifidi vel in ramulos bifidos terminati, brevissimi. *Bractae* ovato-lanceolatae, carinato-uninerviae. *Alabastra* clavata, 10 lin. longa, infra faucem aliquid constricta. *Lobi* pollicares. *Antherae* sagittatae, acutae, glabrae. *Nectarium* e *glandulis* compressis, ovatis, obtusis, quinque, quam ovaria paullo brevioribus. Reliquae partes in specimine laeso obscurae.

Adnotatio. In *Peschiera echinatae*, ALPH. DC. *l. c.* Tom. 8. p. 360, caractere folia subtus subtomentosa statuuntur, in meis speciminibus *Fockeanis* et *Hostmannianis* (n. 564), ex AUBLETHI descriptione et icone tuto ad hanc referendis, in sicco pulchre flavida fere pallide vitellina sunt, primo obtutu denso brevissimoque tomento obducta, sub lente vero haud pilos distinctos, sed superficiem quasi papilloso-inaequabilem obferunt.

Formam foliis longioribus et angustioribus instructam olim, quum tomentosa esse folia *echinatae* adhuc crederem, tamquam *P. surinamensem* proposui (*Sched.* KAPPL. n. 1398, *Linnaea* Tom. 18. p. 742).

Num *Peschierae* genus, *fructu echinato* a *Tabernaemontana* separatum, revera naturale sit, nunc nondum dijudicandum videtur. *Corollae forma*, qualis in *Peschieris* observatur, in quibusdam *Tabernaemontanis* similis occurrit; v. c. in *T. oblongifolia*, ALPH. DC. *l. c.* p. 368, *Herb.* HOSTM. n. 1314.

ODONTADENIA, BENTH.

1. *Odontadenia grandiflora* (n. sp.), glabra, foliis obovato-oblongis, in acumen rectum obtusiusculum abrupte terminatis, basi acutis,

marginibus subundatis, venis costalibus circiter duodenis patulis, cymis trichotomis terminalibus et e supremorum foliorum axillis, floribus longe pedicellatis, lobis calycis ovatis acutiusculis corollae tubo duplo brevioribus, antheris dorso hispidis, basi in crura curvula glabra desinentibus.

Herb. HOSTM. n.º. 1217.

Rami striulati glabri. *Petioli* tenues, antice canaliculati, semipollicares. *Folia* membranacea, utrinque nitida, supra costa venisque sulcata, 5—6 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ — $2\frac{3}{4}$ supra medium lata, venis tertiariis pellucidis. *Cymae* trichotomae, triflorae, inflorescentiam terminalem componentes. *Bracteae* ovatae deciduae. *Pedicelli* 1— $1\frac{3}{4}$ poll. longi. *Calycis* lati *lobi* 2— $2\frac{1}{3}$ lin. longi. *Corolla* in siccis purpurascens, $2\frac{1}{2}$ -pollicaris, *tubus* pollice brevior, *faux* ampla campanulata. *Antherae* in conum acutum conniventes, fere 6—7 lin. longae. *Nectarii glandulae* multidentatae.

Adnotatio. *Apocyneam alte volubilem, lignescentem, in Surinami sylvis* vix raram, cl. FOCKE et HOSTMANN (n. 462 et 1196) legerunt, quam florum exilitate insignem atque molestam, ob fructum imaturum deficientem incertam, plus semel indeterminatam seponere coactus fui; nunc autem, postquam paullo accuratius explorare fructumque, quamvis imaturum, observare licuit, tanquam peculiare genus, *Tabernaemontanae* et *Ochrosiae* affine, indicare ausus sum:

HORTSMANIA (1). *Calyx* quinquefidus, *lobis* aequalibus ciliolatis intus haud ligulatis, sed basi glandulose subincrassatis. *Corollae* hypocraterimorphae *tubus* medio ventricosus, intus infra stamina pilosus, *lobi* sinistrorsum obliqui, *faux* nuda. *Stamina* quinque, paulo supra medium tubo inserta, *filamentis* brevibus, *antheris* ovatis, basi leviter excisis. *Nectarium* nullum. *Ovaria* brevi *gynophoro* inserta, conniventia, *stylus*

(1) NIC. HORTSMAN, Chirurgus, qui a. 1739, Gubernatoris jussu, Guianae batavae regiones interiores peragravit et in Param brasiliensem usque ad Amazonum flumina penetravit (E. BANKROFT, Beschrijving van Guiana. Uit het Engelsch. Amst. 1794. p. 10).

brevis, *stigma* ovoideo-capitellatum. *Folliculi* vulgo uno abortiente solitarii, raro gemini, lineari-lanceolati, compressi, membranaceo-alati, oligospermi; *semina* oblongo-lineararia utrinque nuda. — *Frutex ramis primariis volubilibus, secundariis tertiariisque rectis*, oppositis, patentibus, foliatis, *foliis* oppositis, lanceolato-vel oblongo-ovatis ellipticisve, *inflorescentia*, terminali vel inter dichotomias, puberula, floribus parvis.

Hortsmania myrtifolia. *Ramuli* teretiusculi, luteis vel albidis *verruculis* punctulati, tenuiter striulati; *nodi* marginati. *Petioli* tenues, semiteretes, antice canaliculati, circiter 2 lin. longi, glabri. *Folia* ovato-elliptica vel ovato-sublanceolata, in acumen obtusum angustata, basi lata vulgo breviter acuta, marginibus leviter incurvula, aequilatera, opposita aequalia, membranacea, rigidula, supra nitida saturate viridia, costa sulcata, subtus pallida, nitidula, venis parallelis numerosis horizontalibus ante marginem unitis, tenerrime reticulatis, costa valida, 1½-fere 3 poll. longa, 5—9 lin. lata. *Cymae* vulgo in apicibus ramulorum ternae, trichotomae, tenere puberulentae, in sicco fusciscentes, *bracteis* ovatis acutis concavis. *Flores* breviter pedicellati vel fere sessiles, *pedicellis* basi vulgo bibracteolatis. *Calycis* quinquefidi *tubus* obconicus, *lobis* intus nudis sed ubi in tubum coeunt, macula ovata glandulosa, fere ligulam mentiente, instructi. *Corolla* vix lineam longa, tenerrime puberula, *lobi* tubum circiter aequantes ovato-elliptici, acutiusculi, uno latere replicato-subappendiculati, carnosuli, glabri, in alabastro, apice globoso, sinistrose convoluti. *Faux* nuda glabra. *Stamina* inclusa, paulo supra medium inserta, *filamenta* brevissima, *antherae* pallidae, loculis basi distinctis, apice coalitis confluentibus. *Tubus* infra stamina albo-hirtellus. *Nectarium* nullum, sed ovaria semiovata, arcte sibimet applicata, cohaerentia fere, exilissimo gynophoro cylindraceo sulcato, innixa. *Stylus* brevis. *Stigma* inter antheras receptum, muriculatum. *Folliculi* (adhuc prorsus immaturi) vulgo solitarii, cum rudimento alterius abortivi vel sine eo, raro gemini, circiter pollicares, obtusi, emarginati, toti alati, cavitate seminifera in medio, nunc adhuc admodum parva.

Hortsmaniae nostrae affines esse videntur dubiae quaedam *Tabernae-montanae* species, praesertim *T. parviflora*, POIR. *Dict. Suppl.* Tom. 5. p. 276, et *T. fasciculata*, EJ. *l. c.* Tom. 7. p. 531.

A S C L E P I A D E A E.

R O U L I N I A, DECAISN.

1. *Roulinia surinamensis* (n. sp.), ramis glaberrimis, foliis ovatis vel ovato-oblongis attenuato-acuminatis, basi rotundatis vel leviter cordatis, membranaceis, subtus pallidioribus, pedunculis folio brevioribus, parte dimidia superiore racemosis cum pedicellis tomentello-pubescentibus, floribus glabris, corollae laciniis ovato-oblongis obtusiusculis, coronae stamineae lobis ovatis apice acuminato-bifidis incurvulis.

In regionibus interioribus secus *flumen Suriname*, m. Aprili. » Flores albi, rubro-striati” (HOSTM. et KAPPL. n. 1092).

Caules tenues, laeves, glabri, una facie vulgo fasculi. *Petioli* circiter pollicares vel breviores, tenues. *Folia* 2—2½ poll. longa, tenuiter remote venosa, in sicco subtus glaucescentia. *Pedunculi* 1½—3-pollicares. *Sepala* subovata membranacea, glabra vel glabriuscula, 1 lin. longa, ad corollae sinus pertinentia, appressa. *Corolla* in diam. fere semipollicaris, *lobis* in sicco extus pallidis, intus castaneis laevigatis, coriaceis, marginibus subinflexis. *Corona staminea* gynostegium superans, *lobi* ovati in crura linearia incurvula partiti.



R U B I A C E A E.

I S E R T I A, SCHREB.

Hujus generis species primaria, *I. coccinea*, VAHL., ab AUBLETIO primum proposita (Guettarda coccinea, AUBL. 1. p. 317. Tab. 123) variis er-

roribus obnoxia fuit, licet ipsa ab affinibus distinctissima et ab AUBLETIO accurate descripta sit. Id autem eo factum est, quod ico laudata, magnitudine diminuta delineata, magnitudine naturali depicta credita fuerit ideoque cum specie ipsa minus congrua. Corolla etiam, quam coccineam crediderunt, superiora versus flava est, quare eo minus mirandum hanc speciem tanquam novam denuo propositam fuisse, speciem vero alteram, in Guiana ut videtur etiam haud raram, floribus duplo minoribus instructam iisque magis rubentibus, a CANDOLLEO, BENTHAMO et a me tanquam speciem Aubletianam enumeratam esse.

1. *Isertia coccinea*, VAHL. (*Eclog.* 2. p. 27 *praesertim quoad synonymum archetypum Guettardae coccineae*, AUBL. *l. c.* — *Isertia hypoleuca*, BENTH., HOOK. *Journ. of Bot.* Tom. 3. p. 220. *Is. flava*, MIQ. *in Linnaea* Tom. 18. p. 613), — foliis oblongis acuminatis basi attenuato-acutis, supra glabris nitidis, subtus cinerascenti-tomentosis, stipulis liberis, thyrso corymboso tomentello, calyce obtuse quadridentato, corolla plus quam bipollicari tomentoso-hirta, coccinea, superne flava.

Arbor sylvestris in sylvis *totius Guianae* haud rara. Septembri florentem legit cl. FOCKE. — HOSTM. *Herb.* n. 153.

Rami subcylindrici striato-sulcati, pubescentes, vetustiores glabri; *ramuli* obtuse tetragoni, pilis densis brevissimis canescentes. *Petioles* $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. longi, trigono-vel compresso-teretiusculi, antice convexiusculi et bistriulati, pubescentes. *Folia* coriaceo-membranacea, supra nitida, praeter basin costae, praesertim juniorum, glabra, in sicco atro-fusca, subtus pilis densis saepe substellatis tomentello-pubescentia canula, elliptico-oblonga vel summa lanceolato-oblonga, modice acuminata, acumine subobtusum, basi acuta vel subcuneato-subdecurrentia, marginibus leviter incurva, venis 25^{nis}-30^{nis} erecto-patulis parallelis crassiusculis aliquid rufescentibus, venulis tertiariis transversis obtectis, in senescentibus et glabrioribus demum manifestis, pertensa, majora 11—13, poll. longa, 5— $5\frac{1}{3}$ lata. *Stipulae* triangulari-lanceolatae, acutae, liberae, rarissime ex opposito latere basi cohaerentes, 2—4 lin. longae, coriaceae, tomentoso-hirtellae, citius deciduae. *Inflorescentia* 4—5—6 poll. longa, foliis de-

pauperatis vulgo suffulta, *ramis* decussato-oppositis vel subverticillatis, *axi ramisque* obtuso-tetragonis, corymboso-thyrsoidea, canescens, stricta, rigida. *Bracteae* triangulari-lanceolatae uti stipulae. *Rami* bis dichotomi cum flore alari sessili ebracteolato, floribus lateralibus pedicellatis bibracteolatis, *bracteolis* ovatis concavis tomentellis. *Calyx* fere 2 lin. longus, urceolato-campanulatus, appresse incanus, tubo cum ovario connato, limbi dentibus 4 brevibus latis obtusis, uno vulgo paulo minore, totus coloratus, coccineus, praesertim in fructu. *Corolla* longe tubulosa, $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. longa, saepe leviter curvula, superne in limbum 6-lobum subcampanulato-dilatata, extus dense appresse hirta, *lobis* lanceolato-ellipticis obtusiusculis, praeter marginem superiorem intus extusque glabrum in sicco purpurascentem, extus pubescentibus, basi uno latere in cristam glabriusculam praeefloratione prominentem (alabastrum hinc fere sub-sex-alulatum) sinum occupantem extensis; *tubus* deorsum glaber, fauce et basi loborum pilis, in sicco luteis, rigidis, partim exsertis, densissimis, instructus. *Antherae* lineari-lanceolatae sagittatae, *filamentis* brevissimis supra basin dorso insertae, inclusae. *Stylus* filiformis, disci epigyni foveolae insertus, inclusus, *stigmatibus* radiis 6 teretiusculis, inaequalibus, saepe conglutinatis stigma capitatum simulantibus, haud tamen coalitis. — *Flores aliquot monstrosi* adsunt, *corollis* campanulatis 4—7 lin. longis. — *Baccae* in specimine exsiccatae, globosae, pilosulae, calycis tubo arcte connatae, apice nudo disco orbiculari subsexsinulato, in centrali sua fossula cicatricem 6-lobulatam monstrante, instructae. *Pyrenae* sex, ellipsoideae, pallidae, durae, intus sulcatae, marginibus introflexis laminam placentiferam angustam sistentibus. *Semina* numerosa ovoideo-angulata, *testa* pallide lutescente areolato-foveolata crustacea, *albumine* carnosio aurantiaco-luteo.

TAB. XLVIII. Ramus florens I. coccineae, nat. magnitudine.

a. flos, longitudinaliter apertus cum alabastris; *b.* corollae pars superior intus cum genitalibus; *c.* stamen antice; *d.* postice; *e.* a latere; *f.* pistillum cum stigmate convoluto, n. m.; *f**. stigma explicatum; *g.* fructus submaturus, cum abortientibus 2 ovariis, n. m.; *g**. apex ovarii cum disco; *h.* fructus exsiccat; *i.* transverse sectus; *j.* pyrena cum placenta et seminibus; *k.* semina. — Figurae reliquae auctae.

Adnotatio. *Aubletiani operis* verba exacte in universum cum nostris specimenibus congruunt. In descriptione vero florum, quod eorum colorem spectat, auctor sibi non constare videtur; p. 318 »calycem purpurascentem, tubum (corollam) luteum» dicit; p. 319 vero legimus: »calyce de couleur

pourpurine. La corolle . . . son tube est long de deux pouces et plus. Il est rouge vif, courbé, évasé par le haut, et partagé en six lobes jaunes, dont la face interne est couverte de poils de la même couleur." — In flore a cl. FOCKE ad naturam picto *corolla* laete coccinea, sursum pallidior flavescens offenditur.

2. *Isertia commutata* (n. sp.), foliis obovato-oblongis, abrupte subfalcatis longe acuminatis, basi acutis, supra glabris, subtus pilis simplicibus vel geminatis pubescentibus, stipulis utrinque connatis, thyrso paniculato, calycis dentibus acutis, corolla vix $1\frac{1}{2}$ -pollicari, appresse pilosa, carmosina. — *Is. coccinea*, DC. *Prodr.* Tom. 4. p. 437 et fere omnium auctorum, haud VAHL.

Arbor floribus carmosinis, in sylvis regionum interiorum secus *flumen Suriname*, prope *stationem Victoria* aliisque locis, m. Aprili, (FOCKE, HOSTM. n. 161. KAPPLER n. 1873).

Ramuli obtuse tetragoni, appresse canuli. *Petioli* $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ poll. longi, trigono-vel subcompresso-teretes, antice striulati, pubescentes. *Folia* membranaceo-coriacea, obovato-oblonga, abrupte longe acute subfalcato-acuminata, basi acuta, marginibus plana, supra glabra et nitida, subtus molliter pubescentia, nec cinereo-incana, venis 25^{nis}—30^{nis} venulisque transversis prominulis instructa, majora 12—15-poll. longa, 5— $6\frac{1}{2}$ lata, in sicco subtus fuscescentia. *Stipulae*, una cum oppositi folii altera connata, hinc interpetiolares triangulares bidentatae vel bifidae, appressae, 2—3 lin. longae, coriaceae, incanopilosae, diutius persistentes. *Inflorescentia* densior magis pyramidata, *ramis* superne valde abbreviatis quasi spicata, incana, ramis decussato-oppositis vel verticillatis, tenuioribus. *Bracteae* ovato-triangulares, acutae, inferiores ciliolatae, caeterum glabrae, superiores densius pilosae. *Flores* alares sessiles ebracteolati, laterales *bracteolis* 1—2, tubo calycino $\frac{1}{2}$ adnatis, instructi. *Calyx* 1 lin. longus, tenuiter appresse pilosulus, dentibus 4 brevibus latis sed acutis. *Corolla* ad summum $1\frac{1}{2}$ poll. longa, *tubo* deorsum tenuiore gracili, superne leviter dilatato, appresse hirtello, *lobis* 6 lanceolato-oblongis obtusiusculis, intus et extus ad lentem fortiorem quam tenerrime velutinis, cristis minoribus quam in praecedente, pilis in fauce densissimis subexsertis. *Genitalia* ut in *I. coccinea*. *Flores monstrosos* in hac specie nunquam vidi. *Baccae* meis speciminibus desunt.

TAB. XLVIII fig. aa. Flos nat. magnitudine.

BRUINSMANIA, MIQ. (*Linnaea* Tom. 17. p. 72).

Calycis *tubus* subobovatus, ovario adhaerens, *limbus* superus brevis quadridentatus, persistens. *Corolla* tubuloso-clavata, *limbi* sexlobi sinibus haud cristatis. *Antherae* sex, *filamentis* brevissimis sustentae, lanceolato-lineares, acutae, infra corollae faucem setoso-pilosam insertae, inclusae. *Ovarium* quinqueloculare, *ovula* in loculis plurima biserialia, angulo centrali affixa, anatropa. *Stylus* stamina paulo superans, *stigmatibus* capitato irregulariter tri-vel subsex-sulco. *Bacca* subglobosa pentapyrena, *pyrenis* oblongis obtuse triquetris chartaceo-fragilibus polyspermis. *Semina* semigloboso-placentiformia, *testa* dura areolata.

Bruinsmania isertioides (l. c.). Frutex vel arbuscula surinamensis, probabiliter per omnem Guianam crescens.

Ramuli pubescentes. *Folia* opposita, breviter petiolata, oblonga vel elliptica, acuminata, basi acuta vel rotundata, patenti-costata, supra glabra, subtus pallida tomentoso-pubescentia. *Stipulae* petiolos superantes, utrinque binae, lineari-lanceolatae; appositae quandoque in unam bifidam cohaerentes. *Corymbus* terminalis subglobosus, *ramis primariis* subverticillatis, cymose dichotome ramosis. *Bracteae* oblongo-lanceolatae acuminatae, cum inflorescentiae ramis dense pubescentes et fimbriatae. *Flores* in ultimis ramulis cymose subumbellato-dispositi, vulgo bibracteolati. *Calyx* glabriusculus, 4-denticulatus, *dentibus* latis subtriangulis, apice obtusiusculo pilosulis. *Corolla* circiter trilinearis, *tubo* cylindrico sursum incrassato, basi intra calycis limbum aliquid amplificato glabro, *limbi lobis* sex ovalibus acutiusculis concavis, *fauce* a staminum insertione inde pilis setulosis albidis plena. *Filamenta* corollae tubo adnata, parte suprema brevissima tantum libera. *Antherae* introrsae, filamentis paulo supra basin insertae, acutissimae, connectivo prominulo. *Stigma* junius vulgo sexsulcum, proVectius ut plurimum irregulare. *Bacca* calycis limbo 4-vel nunc sub-3-denticulato puberulo coronata, glabrescens, pyrenis vulgo 5, cartilagineis.

TAB. XLIX. Ramus florens, naturali magnitudine, cum stipula (e duabus connatis) interpetiolari, bifida.

a. flos; *b.* corollae apertae pars superior; *c.* stamen a latere atque a ventre; *d.* stylus cum stigmatibus; *e.* stigma fere a vertice; omnes varie auctae. *f.* bacca exsiccata nat. magnitud.; *g.* eadem aucta; *h.* vertex; *i.* sectio transversa; *ii.* alia eodem modo secta, in qua 3 tantum pyrenae normales, 2 abortivae; *j.* semen, auct. magnit.

Adnotatio. Hoc genus prope *Isertiam* pertinet, corollae sinibus autem haud manifesto cristatis, stigmatibus simplicibus (i. e. ejus ramis abbreviatis in unum corpus subglobosum coalitis) facillime distinguitur. — Congener procul dubio est *Isertia parviflora*, VAHL, vix conspecifica. Quam autem hoc nomine cl. MEYER in *Prim. Esseq.* p. 151 descripsit stirpem, a nostra haud diversam crederem. Accuratus ille auctor ipse jam monuit, VAHLII descriptionem haud semper cum sua specie congruere, v. c. quoad folia, VAHLIO plerumque utrinque glabra interdum subtus subvillosa dicta, dum tomento tenui densissimo haud defricando tecta sint; porro quoad stigma, quod capitatum et sexsulcatum sit, dum a VAHLIO crassum, uno latere planum subconcaevum, altero convexum et linea acuta elevata longitudinali instructum perhibeatur.

C H O M E L I A, JACQ.

1. *Chomelia tenuiflora* (BENTH. in *Hook. Journ.* Tom. 3. p. 235), foliis ovatis ellipticisve, subtus in venis pilosulis earumque axillis barbatis, spinis axillaribus validis, floribus vel in ramulis brevibus sessilibus 1—3-aggregatis vel in gracilioribus ramulis axillaribus solitariis longe pedicellatis, calycis lobis linearibus tubo longioribus, corollae gracilis extus albo-villosae lobis lanceolato-linearibus acuminatis.

Stirpem in *Guiana anglica* in fluviorum alluvialibus a cl. SCHOMBURGK detectam, similibus locis *Surinami interioris* cl. FOCKE nuper invenit et specimina adeo completa misit ut Benthamianae phrasi notas aliquot addere nunc oporteat:

Rami albicantes laeves, tetragono-vel subcompresso-cylindracci, glabri, nascentes rara pube inspersi. *Spinae* erecto-patentes, oppositae, parumper supra-

axillares, teretes, acutae, rectae, 4—6 lin. longae. Axillas ipsas vulgo occupant *ramuli contracti* abbreviati, internodiis distinctis fere nullis, dense foliati et floriferi. *Petioles* 1—2 $\frac{1}{3}$ lin. longi, tenues, antice sulcati, tenuiter puberuli. *Folia* membranacea, supra fere inde ab initio glabra, subtus in costa, venis et secus marginem appresse subdense pilosa et in venarum axillis barbata, ramulorum abbreviatorum *minora* et magis ovata vel lato-elliptica, $\frac{1}{2}$ —2 poll., vulgo 1 poll. circiter longa, acutiuscula, acuta vel submucronata, basi rotundata vel obtusa, ramulorum et ramulorum eorum quibus internodia elongata sunt, *majora*, longiora, vulgo tripollicaria, 1 $\frac{1}{3}$ poll. lata, subacuminata, basi plerumque cuneata raro obtusa, venis senis vel septenis parallelis arcuato-adscendentibus prominentibus pubescentibus subtus notata, venulis tertiariis obsoletis, sub lente crebris sed immersis. *Stipulae* intrapetiolares solitariae, lato-triangulares subulato-acutatae, dorso puberae, 1 lin. longae. *Flores* aut (plerumque) in ramulis illis contractis sessiles vel rectius subsessiles, ad eorum apices 1—3-aggregati, rectius tamen ex singula axilla solitarii, aut in ramulis elongatioribus (quos cl. BENTHAM haud vidit quosque ad aliam speciem quis referret, qui conjunctos ramos haud viderit) longe pedicellati, axillares, solitarii, *pedicello* tenui puberulo recto circiter pollicari. *Flores* basi *bracteolis* 2 oppositis, basi vaginato-connatis calycemque arcte amplectentibus, ovatis acuminatis puberulis, tubum calycinum fere aequantibus, in fl. pedicellatis haud immediate infra calycis basin adnatis, suffulti. *Calyx* e basi parumper angustata tubulosus, cum lobis 3 $\frac{1}{2}$ lin. longus, pubescens, lobis 4 linearibus, oppositis 2 parumper brevioribus, subhirtellis. *Corollae* gracilis tubus tenuis, pollicaris, sursum parumper dilatatus, appresse albo-villosus, limbi lobi patentes lanceolato-lineares acutati, 3-plerumque 4 lin. longi, dorso secus nervum medianum hirti, intus cum tubo glabri. *Stamina* paullo infra faucem inserta, *filamentis* brevissimis, in lineam adnatam decurrentibus, *antheris* sagittato-linearibus acutis patentibus. *Ovarium* biloculare, *ovulis* in singulo loculo solitariis pendulis.

TAB. L. Rami duo florentes, unus floribus sessilibus, alter pedicellatis, nat. magnitudine.

a. flos cum bracteolis; *b.* corollae apertae genitalia; *c.* anthera; *d.* stigmata; Figurae auctae.

Adnotationes.

Geophila cordata, quam in *Linnaea* Tom. 17. p. 72, olim descripsi,

habitu et partium forma *G. violaceae* (ex AUBLETHI icone et descriptione) perquam similis est sed tum florum tum baccarum colore satis distincta videtur. Probabiliter, utriusque speciei speciminibus comparandis, solidiores characteres invenientur.

Geophilam reniformem, CHAM. et SCHLD., in sylvis secus *flumen Marrowyne*, floribus albis instructam, legit KAPPLER (nº. 1897). Folia quaedam omnino congruunt cum Tab. 46. JACQ. *Amer.*, alia vero magis ovata apice acutiuscula offenduntur, ita ut inter *cordatam* et *violaeifoliam*, DC. medium fere teneant. Foliorum forma vix satis certos in hoc genere characteres praebere videtur.

Geophilam cordifoliam in *Herb. Kappleriano* (nº. 1896) et *Hostmanniano* (nº. 58) herbam albifloram dixi, in montibus regionum interiorum ad *flumen Suriname* m. Aprili lectam, huic generi ni fallor annumerandam, licet baccae sicciore et evidentius costato-sulcatae sint: *G. repens* radicans, ramulis petiolis pedunculis foliisque in nervis utrinque praesertim subtus villosulis, foliis ovatis vel lanceolato-ovatis acutis, basi cordatis, membranaceis, supra appresse pilosis, stipulis interpetiolaribus solitariis ovatis obtusiusculis membranaceis subglabris, pedunculis terminalibus solitariis petiolos supremos circiter aequantibus, bracteis bracteolisque lineari-lanceolatis, floribus (albidis?) puberulis, baccis ellipsoideis leviter compressis costatis. — *Herba* longe repens, *caulibus* senilibus glabris, junioribus dense crispule et patule villosis. *Folia* vel latiora vel angustiora, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. longa, 7—11 lin. lata, lobis rotundatis conniventibus vel sinu separatis, supra saturate viridia, sparse inter nervos pilosula, subtus in nervis densius hirtella et pallidiora. *Bracteae* et *bracteolae* rariter pilosae; *receptaculum* ipsum dense albido-hirtulum. *Flores* ut congenerum, parvuli. *Baccae* compressiusculae costato-sulcatae, calycis limbo truncato coronatae, nunc pilosulae? dispermae. *Semina* immatura dorso convexa, antice planiuscula, testa cartilaginea.

BORRERIA, F. W. C. MEY.

1. *Borreria penicillata* (n. sp.), stricta, erecta vel decumbens, ramis submarginato-tetragonis, glabris vel glabriusculis, laevibus, angulis infra

nodos obtuse denticulatis, foliis decussato-oppositis, breviter petiolatis, ellipticis utrinque acutis, supremis angustioribus, utrinque parce pubescentibus, marginibus scabriusculis, subtus flavescentibus venisque quaternis vel quinis patule erectis, stipularum setis utrinque vulgo octo vaginam superantibus, calycis quadrifidi lobis ciliolatis, corollae segmentis apice penicillato-pilosulis, stigmatibus duobus exsertis, antheris cordatis sessilibus inclusis.

In *Surinamo superiore* cl. FOCKE detexit.

Planta 1—2-pedalis, (e radice crassa), a basi ramosa, rigida, in sicco flavescens, internodiis vulgo brevibus, semipollicaribus, stipularum vaginis brevibus membranaceis, puberulis, setis utrinque 8, raro 9, mediis 4 longis, extimis brevissimis, omnibus linearibus praeter apicem carnosulum viridulis, superne ciliolatis. *Petioli* 1 lin. longi vel breviores. *Folia* rigide membranacea, supra laete viridia tenerisque pilis inspersa, subtus flavescentia, pilis raris at longiusculis obsita venisque in sicco fuscis pertensa, majora 1 poll. longa, 3—4 lin. lata. *Flores* dense verticillati, bracteolati. *Calyx* subcampanulatus, 4-fidus, superne puberulus, lobis lanceolatis ciliolatis. *Corollae* tubus calycis circiter longitudine, glaber, limbi lobi ovati acuti, apice teneris pilis penicillati; *tubus intus* ad $\frac{1}{2}$ alt. circulo piloso, caeterum glaber. *Antherae* immediate infra sinus corollae sessiles nec exsertae, lato-cordatae, apiculatae, connectivo dilatato, loculis angustis; *filamenta* vix ulla. *Stylus* filiformis, glaber, corollae fere longitudine; *stigmatibus* 2 teretiusculis intus papillosis divaricatis. *Capsula* calyci partim adnata dentibusque serius deciduis coronata, 1 lin. circiter longa, septicida, *loculo* singulo intus ab apice ad $\frac{1}{2}$ long. hiante; *semen* obovato-ellipticum, dorso convexum, antice planum et sulcatum, fuscum, areolatum.

TAB. LI. *Planta* florens et fructifera, nat. magnitudine.

a. vagina stipularis; *b.* flos; *c.* tubus corollae intus cum antheris adnatis; *d. e.* anthera postice et a latere; *f.* stylus cum stigmatibus; *g.* capsulae locus intus, incipiente dehiscentia; *h.* semen antice. *Figurae* vario gradu auctae.

2. *Borreria prostrata* (n. sp.), herbacea, decumbens, radicans, ramis tetragonis subglabris laevibus, foliis oppositis petiolatis, subtus glabris, supra marginibusque pilis brevibus scabriusculis vel fere glabris,

membranaceis discoloribus, inferioribus ellipticis acutis, supremis minoribus sublanceolatis, capitulis axillaribus sessilibus et terminalibus bifoliatis, calycis dentibus duobus longioribus, duobus paulo brevioribus, illis capsulae valvas coronantibus.

In *Surinamo superiore* m. Majo cl. Focke detexit.

Habitu *Spermacocem prostratam*, AUBL. Tom. 1. p. 58. Tab. 20 fig. 3 adeo aemulatur ut eandem habuissem, nisi in breviori phrasi planta omnino glabra dicta esset.

Planta basi radicans, ramis erectis. *Folia inferiora* lato-elliptica, 8—10 lin. longa, *sequentia* elliptica et minora, *summa* et omnium ramulorum multo minora et angustiora; *internodia* marginato-tetragona, angulis glabris vel rariter pilosulis. *Vaginarum setae* utrinque circiter 6, lineares subciliolatae. *Flores* minuti, calyce puberulo. *Capsula* generis.

3. *Borreria trichantha* (n. sp.), herbacea?, ramulis tereti-subtetragonis glabris, foliis breviter petiolatis oppositis, lanceolatis vel lineari-lanceolatis, membranaceis, supra in nervo medio et secus margines puberis, subtus glabris, vaginarum ciliatarum setis utrinque quinque vel septem, glabris, vaginam aequantibus, floribus verticillatis, calyce quadrifido puberulo, corollae tubuloso-infundibuliformis lobis quatuor lanceolatis intus dense hirtis, filamentis exsertis, antheris linearibus, dorso paullo supra basin infixis.

HOSTM. *Herb.* n^o. 1021. — *Internodia* bipollicaria striulata. *Folia* 8—10 lin. longa, 3—1½ lin. lata, subavenia. *Vaginarum setae* exteriores abbreviatae. *Flores* 1 lin. circiter longi. *Capsula* generis, oblonga, puberula.

T E S S I E R A, DC.

1. *Tessiera pubescens* (n. sp.), herbacea, suberecta, ramis teretiusculis, infra folia subtetragonis, glabriusculis laevibus, foliis oppositis petio-

latis, ovato-ellipticis subacuminatis, supremis elliptico-lanceolatis, utrinque puberulis, laevibus, membranaceis, vaginarum setis utrinque sex vel octo, capsulae valvis bifidis, septo ovali acuto membranaceo libero, seminibus linearibus obtusis fuscis laevibus.

In savana prope *Onoribo*, m. Sept. legit cl. FOCKE.

Capsulae structurâ haud dubia generis cives, a reliquis probabiliter valvis semibifidis diversa. *Petioli* 2—3 lin. longi. *Folia* basi in petiolum angustata quasi decurrentia, 1—1 $\frac{3}{4}$ poll. longa. *Flores* albi? *Calyx* 4-dentatus. *Endocarpium* crustaceum rigidum, nitidum; *dissepimentum* valvis $\frac{1}{3}$ brevius. *Semina* 1 lin. paulo breviora, dorso convexa, antice plana et anguste sulcata.

D I O D I A, LINN.

1. *Diodia spicata* (n. sp.), fruticosa, erecta, ramis inaequaliter tetragonis, tenuissime puberulis, foliis lanceolatis acute acuminatis, margine serrulato-scabriusculis, supra glabris, subtus pallidis puberulis venisque circiter senis lineatis, vaginarum setis elongatis utrinque circiter octo, floribus verticillatis axillaribus et superne, foliis depauperatis, interrupto-spicatis, brevissime pedicellatis, calyce subgloboso aequaliter quadridentato, corollae parvae dentibus obtusis ciliolatis, filamentis inclusis puberis, stigmatibus duobus teretiusculis.

Locis apricis sylvarum prope *Bergendaal*, m. Octobris, fruticulum erectum, albiflorum? legit cl. FOCKE.

Ramulorum facies 2 oppositae concavae, 2 planiusculae, angulis infra folia denticulatis, caeterum integerrimis. *Petioli* 2—3 lin. longi, tenues. *Folia* 3 $\frac{1}{2}$ —2 $\frac{1}{2}$ poll. longa, inferiora latiuscule lanceolata, superiora angustata, summa depauperata linearia bracteaeformia, unde singuli ramuli florentes in spicam longam interruptam desinunt. *Vaginae* puberulae breves; *setae* 5 mediae reliquis longiores, petiolos circiter aequantes. *Flores* in singulo verticillo densissimi, exiles, millimetrum vix superantes, brevissime pedicellati et bracteo-

lati. *Calycis tubus* subglobosus pubescens, *dentes* circiter aequans. *Stamina* corollae tubo inferne inserta, corollam circiter aequantia, *filamentis* puberis tenuissimis, *antheris* cordato-ellipticis. *Capsula* oblongo-elliptica, calycinis denticulis coronata, pubera, haud dehiscens, in 2 partes vi aliqua separabilis; singulo carpello latere interiore clauso, sed linea longitudinali (axi) notato. *Semina* elliptica, dorso convexa, antice sulcata.

TAB. LII. Ramulus florens et fructifer, nat. magnitudine.

a. corolla aperta intus, cum genitalibus; *b.* stamina antice et postice; *c.* stylus cum stigmatibus; *d.* capsula immatura; *e.* eadem longitiorum secta. Figurae auctae.

2. *Diodia surinamensis* (n. sp.), ramulis subtetragono-cylindraceutis laevibus glabris (coloratis), foliis anguste linearibus, glabris, vaginarum glabruscularum setis utrinque octo, tribus mediis longioribus vaginam circiter aequantibus, floribus verticillatis, calycis quadrifidi lobis lanceolatis puberulis, corollae lobis extus glabris, intus puberis, staminibus exsertis, antheris ellipticis, stigmatibus duobus capitellatis in styli apice sessilibus, capsula oblongo-obovata, basi glabra, superne puberula quadridentata.

Locis humidis regionum interiorum secus ripas *fluminis Suriname*; flores coerulescentes (KAPPLER n^o. 1808).

Specimen mancum. *Internodia* foliis multo breviora. *Folia* fere sessilia, 1½ poll. longa, ½—¾ lin. lata, membranacea, in sicco leviter revoluta, patentia. *Flores* 1 lin. longi. *Calyx* corollae tubum aequans. *Stigmata* exserta. *Capsula* 1½ lin. longa, subbisulcata, vi quadam bipartibilis, *carpellis* intus clausis vel raro ruptura irregulari apertis.

Adnotationes. Frutex surinamensis, quem in *Linnaea* Tom. 18. p. 748. *Cephaelidis? microcephalae* nomine proposui, fortasse ad *Psychotriae species capitulifloras* apte referendus, affinis videtur *Ps. capitellatae*, DC. *Prodr.* Tom. 4. p. 514 et speciei a cl. SCHOMBURK lectae quam eodem nomine cl. BENTHAM proposuit. Nostra, quae itaque *Psychotria microcephala* dicenda, foliis majoribus utrinque attenuatis, pedunculo parce puberulo rel. ab illa distinguenda, quoad fructum denuo inquirenda. Revera horum generum characteres admodum vagi, ex inflorescentiarum discrimine haud unice petendi!

Palicoureae generi adscribendus est sequens frutex surinamensis, ut videtur haud rarus (HOSTM. 376, 533, 1145. KAPPL. n. 1480.), quem cl. STEUDEL, qui fructum haud vidit, pro *Nonatelia lutea*, AUBL., habuit; nondum descriptus fuisse videtur, nisi inter dubias Psychotriae species latebit. — *Palicourea aurantiaca* (n. sp.), ramulis teretiusculis striulatis glabris, foliis breviter petiolatis, elliptico-oblongis acuminatis, basi cuneatis vel acutis, membranaceis, venis costalibus 12^{nis} vel 14^{nis} arcuato-patulis, subtus ad lentem punctulatis et secus costam sparsim barbatis, stipulis utrinque binis linearibus membrana tenui integerrima vel ciliolata junctis, paniculae longiusculae glabriusculae ramulis subverticillatis dichotome ramosis, calycis, basi bracteolarum geminarum rudimentis suffulti, dentibus ellipticis acutis, corollae tubulosae lobis parvis, fructu ovoideo decemcostato subdicocco. — *Frutex floribus aurantiacis. Ramulorum nodi constricti. Folia* 4—5 poll. longa. *Panicula* pedunculata, in sicco flavescens; *bractee* ovato-triangulares acutae. *Corolla* 2 lin. longa. *Fructus* a lateribus leviter compressus, sulcato-costatus, limbo calycino conniventi et disculo orbiculari excavato coronatus.

Carapicheum Kappleri fruticem albiflorum dixi, quem in sylvis ad *flumen Marrowyne* m. Sept. legit KAPPLER (n. 1871), a *C. Patrisii*, DC. *Prodr.* 4. p. 536, ni fallor, diversum: foliis lanceolato-ellipticis acuminatis, basi cuneato-attenuatis, capitulis sessilibus. *Specimen* suppetens vero minus completum.

COMPOSITAE.

CAMPULOCLINIUM, DC.

Capitulum multiflorum. *Involucri squamae* bi-tri-seriales, inaequales, exteriores ovaes breves, interiores longiores et angustiores. *Receptaculum* convexum vel subplanum, nudum, papillato-foveatum. *Achaenia* angulata, pappo uniseriale piloso scabro. — Genus ab *Eupatorio* unice fere habitu differt, capitulis nimirum magnis ovoideis, nequaquam cylin-

dricis; character differentialis e receptaculo hemisphaerico petitus, nec omnibus speciebus nec omni aetate convenit nec ipse magni faciendus videtur.

1. *Campuloclinium surinamense* (Miq. in *Linnaea* Tom. 17 p. 69. Tom. 18 p. 595. SCHULTZ *Bip.* ibid. Tom. 21 p. 244), frutescens, ramis pubescentibus, foliis oppositis modice petiolatis, ovatis subcordatis acuminatis vel acutis, dentato-serratis, trinerviis et venosis, supra laevibus nitidis, subtus asperulo-pubescentibus demum scrobiculatis, paniculis terminalibus pyramidatis brachiatis tomentellis, capitulis pedunculatis multifloris, involucri campanulati squamis tri-quadri-seriatis, extimis parvis ovatis vel ovalibus, interioribus lanceolatis striatis scariosis apiceque ciliolato-serrulatis, receptaculo planiusculo.

Frutex surinamensis, in umbrosis juxta sylvas haud rarus, Sept. et Octobri vel probabiliter aliis etiam anni temporibus flores rubellos efformans, variis locis a cl. FOCKE et HOSTMANN (n. 339, 986) lectus.

Rami teretes glabri striulati. *Petioli* canaliculati, raris pilis pubescentes, mox glabri, $1-\frac{1}{2}$ poll. longi, foliorum ramulinorum breviores. *Folia* e basi cordata vel rotundata, ovata subacuminata vel acuta, submembranacea, supra nitida in nervo medio puberula, subtus pallidiora in nervo medio pubescentia, lacunosa, reticulata, tactu asperula, remote dentato-serrata, $5-2\frac{1}{2}$ poll. longa, ramulorum et superiora omnia minora, inter paniculas denique depauperata in *bracteas sessiles* transeuntia. *Pedunculi* in inflorescentiae ramis oppositi vel suboppositi, raro alterni, cum *axibus* tomentelli, $1-\frac{1}{2}$ pollicares, basi *bractea* et apice simili *bracteola*, oblongo-lanceolata, $1\frac{1}{2}-1$ lin. longa, instructi. *Capitula* semigloboso-campanulata, 2—4 lin. longa. *Squamae* extimae 5 (quarum 2 inferiores breviores, 3 paulo interiores) ovatae, ovaes, pubescentes, 1—2 lin. longae, obtusae vel acutae, 5-striulatae, in sicco fuscae, primam seriem componentes; sequentis seriei longiores, lanceolatae, parce puberulae, striatae; interiores lineari-lanceolatae, scariosae, glabrae, uni-vel bi-striatae, apice acuto vulgo tantum ciliato-serrulatae. *Flores* circiter 50, in *receptaculi* planiusculi foveolis papillose prominulis inserti, involucri bracteas superantes. *Ovarium* cum papilla illa receptaculi arcte cohaerens (sub

ruptura vulgo adhaerens) basi aliquid angustatum, tetragonum, angulis piloso-scabrum. *Pappus* corollam aequans, *radiis* sub lente planiusculis serratis. *Corollae tubus* ovario duplo longior, superne sensim dilatatus, *limbi lobi* ovati, reflexo-patuli. *Filamenta* brevia; *antherarum* junctarum linearium connectiva infra loculos producta et cylindrica, apice in ligulam planam elliptico-lanceolatam fere exsertam producta. *Stigmata* divaricatim exserta. *Achaenium* maturum 4-angulatum, angulis pilis rigidulis scabrum, faciebus demissis glabrum.

TAB. LIII. Ramulus florens et folium rami, nat. magnitudine.

a. capitula, paulum aucta magnitudine; — *b.* capitulum florens magis auctum; *c.* receptaculum; *d.* ejus squamae: 1 extrema, — 4. intima; *e.* flos; *f.* stamen separatum; *g.* pollen; *h.* stylus; *i.* achaenium maturum cum papilla basi adhaerente, demto pappo; *k.* pappi rami; figurae vario gradu auctae.

EUPATORIUM, LINN.

1. *Eupatorium psiadiaefolium* β . *latifolium* (DC. *Prodr.* Tom. 5. p. 145. *excl. var. γ .*), fruticosum glabrum viscosum, ramis subhexagono-angulatis, foliis oppositis petiolatis, ovato-vel lanceolato-oblongis acuminatis, praeter basin integerrimam grosse serratis, trinerviis, utrinque ramulisque resinoso-punctatis, corymbo terminali trichotomo, capitulis plerisque pedunculatis cylindricis 15—18-floris, involucris squamis arcte appressis quadri-vel quinquieseriatas, extimis ovalibus, interioribus lanceolatis vel linearibus, omnibus apice subpuberulis dorsoque viscidis, corollae dentibus dorso sub apice papilloso.

Frutex elatior in *pascuis* et *fruticetis Surinami* a cl. FOCKE et HOSTMANN (*Herb.* n. 268 et 462) lectus, olim tanquam *E. punctatum*, LAM., (cujus diagnosis quadrat) a me enumeratus (*Linnaea* Tom. 17 p. 66), teste cl. SCHULTZ autem ad *E. psiadiaefolium* potiori jure referendus.

Rami in siccis fuscescentes vel cylindracei atque sulcati vel plerumque sex-angulati, angulis inaequalibus. *Folia* subdecussato-opposita, *petiolis* semitereti-canaliculatis fuscescentibus glabris, 2—5 lin. vulgo semipollicem longis, sus-

tenta, subcoriacea, in sicco fragilia, tactu asperula, utrinque, praesertim sub-
 tus, glandulis elevatis resinosis inspersa, ovato- vel elliptico-oblonga, in qui-
 busdam summa fere lanceolata, basi breviter vel longius acuta integerrima,
 caeterum grosse acute subduplicato-serrata, trinervia, remote venosa, $4\frac{1}{2}$ —3
 poll. longa, $2\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ lata. *Inflorescentia* corymboso-composita subfastigiata.
Capitula pedunculata, intermedia quaedam sessilia, (*pedunculis* parva *bractea*
 sustentis), subcylindrica, $2\frac{1}{2}$ lin. longa, pallida. *Squamae* 5—6-seriatae, im-
 bricatae, appressae, rigidae, striatae, praesertim apice ciliolatae, extimae
 breves latae, interiores sensim longiores et angustatae apiceque tantum serru-
 lato-ciliolatae. *Flores* breviter exserti. *Ovarium* exteriorum saepe tri-, inte-
 riorum vulgo pentagonum, angulis acutis praesertim in achaenio maturo scabris
 (serratis), faciebus reticulatis: areolis elongato-quadrangulis. *Pappus* ova-
 rium corollamque cylindraceam circiter aequans. *Limbi corollini lobi* ovati ob-
 tusiusculi, praesertim dorso eleganter papilloso. *Antherarum* lanceolato-linearium
connectivum basi cylindricum, apice in laminam planam, breviter exsertam
 productum? *Filamenta* brevia. *Stylus* ima basi utrinque tumidulus.

TAB. LIV. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. capitulum, aucta parumper magnitudine.; *b.* 1—5 squamae diversarum serie-
 rum; *c.* flos; *d.* pappi junioris rami; *e.* corollae lobus a dorso; *f.* anthera
 separata; *g.* pollen; *h.* stylus; *i.* achaenium, resecto pappo, cum sectione trans-
 versa achaenii interioris et exterioris; *j.* achaenii superficies; figurae vario gra-
 du auctae.

2. *Eupatorium dichotomum* (SCHULTZ *Bip. mss. in sched.*), dense ra-
 mosum et foliosum, ramis cylindricis scabriuscule pubescentibus, foliis
 oppositis, ovatis vel ellipticis acutis, margine revoluto remote subserratis,
 tri- vel subtriplinerviis parceque reticulatis, supra scabro-puberulis, sub-
 tus scabriuscule pubescentibus et resinose punctatis, capitulis pedunculatis
 in summis ramulorum axillis, paucis, subracemosis, cylindricis, squamis
 quinque- vel sex-seriatis, arctissime imbricatis, inferioribus ovatis, sequentibus
 oblongis et linearibus, omnibus stramineis glabris vel tenere puberulis
 apice subciliolatis, floribus 15—17, squamas parum superantibus, achae-
 niis inaequaliter tetragonis, angulis subscabris.

In Surinamo legerunt cl. HOSTMANN et KAPPLER (*Herb.* n^o. 1273).

Species e *Sect. I.* § *Cylindric. flor.* 10—20, apud DC. *Prodr.* 5. p. 145, affinis *E. scabro* L. nec non *E. Martiusii*, DC. *Prodr.* 7. p. 269, exsiccata quodammodo nigrescens, exceptis capitulis stramineo-nitidis. *Folia* ramulorum densissima, brevissime petiolata, ramorum paulo longius petiolata et remotiora, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longa, subtus ad lentem in nervis pubescentia, supra nitidula, nervis primariis sulcata, parce pilosula, rigida, alia manifesto pauci-serrulata, alia integerrima, acuta. *Pedunculi* vix 1 lin. longi, dense pubescentes. *Capitula* 2— $2\frac{1}{3}$ lin. longa, nascentia acuta, adulta cylindrica apice obtusa, squamis infimis valde abbreviatis, superioribus longioribus, omnibus fuscule striatis. *Pappus* sordide albidus.

3. *Eupatorium ixodes* (BENTH. in *Ann. Nat. Hist.* Tom. 2. p. 108. HOOK. *Journ. Bot.* Tom. 2. p. 41), glabrum viscidulum, ramis cylindraceutis angulatis, foliis oppositis breviter petiolatis, oblongis lanceolatisque obtusis, versus basin attenuatis, repandis vel repando-subsinuatis, coriaceis, glandulose punctatis, corymbi terminalis ramis subfastigiatis oppositis vel subalternis, capitulis pedunculatis vel sessilibus, ovatis, 25—50-floris, squamis circiter quadriseriatis, extimis brevissimis ovalibus, interioribus linearibus, dorso striatis, apice puberulis, intimis ciliolatis, achaeniorum tetragonorum angulis scabridis, faciebus appresse subpuberulis. — *Eupatorium surinamense*, SCHULTZ *Bip. in sched.* HOSTM. et KAPPLER n. 1255.

Species pulchra, e *Sect. II.* §. *capitul.* 25—20-floris, proxima *E. subobtusum*, DC. l. c. 5, p. 161, foliis longioribus et capituli squamis numerosioribus (in *E. subobtusum* bi-triseriales) differt. In *Guiana anglica* SCHOMBURGK (n. 79), in *Surinamo* collectores laudati invenerunt.

Caules in sicco fusci, glabri, *juniores* sub lente fortiore pube pulverulenta hic illic conspersi, cylindraceuto-6-angulati vel sulcati, angulis e petiolorum marginibus atque dorso decurrentibus. *Petioli* 3—1 lin. longi. *Folia* decussato-opposita, erecto-patula, nec unquam quaedam superiora in meis alterna, *inferiora* oblonga, 5 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ lata, *superiora* magis lanceolata, $3\frac{1}{2}$ —3 poll. longa, 4—6 lin. lata, rigide coriacea, apice obtuso aut rotundata aut attenuata, subtus nervo medio crasso et venis erecto-patulis prominentibus ante marginem unitis et reticulatis instructa, utrinque subni-

tida. *Inflorescentia* ampla terminalis et ex supremis simul axillis; folia depauperata ramos primarios discriminantia, sensim in *bracteas* lanceolatas et lineares transeuntia; *axes tertiarii* parcissima, *pedunculi* densiore pube inspersi. *Capitula* circiter 2 lin. longa, laxa, *squamis* laxis, extimis multo brevioribus densius puberulis, interioribus sensim angustioribus et glabrioribus, apice coloratis atque pubescentibus, intimis denique fere hyalinis linearibus apice ciliolatis. *Corollae* rubellae? *dentés* dorso nitide papilloso. *Receptaculum* subconvexum areolatum, *areolis* verrucaeformibus apice impressis.

M I K A N I A, DC. (1).

1. *Mikania argyrostigma* (Miq. in *Linnaea* Tom. 17. p. 69), volubilis, caule ramisque puberulo-asperulis, foliis (superioribus) secus petiolum decurrentibus lato-vel oblongo-ovatis, praeter basin argute et remote denticulatis, subquintuplinerviis, tenuiter membranaceis, verruculis exilibus albidis utrinque asperulis, corymbo terminali composito trichotomo basi foliato, capitulis plerumque ternis sessilibus vel in pedunculis abbreviatis plurifasciculatis, squamis spathulato-linearibus obtusis pubescentibus apice ciliatis, corollae dentibus extus pauci-pilosulis, tubo tenerrimis rarissimis pilis insperso.

Ad margines sylvarum, inter frutices, Martio mense aliisque anni temporibus florentem legit cl. FOCKE, nec non HOSTM. et KAPPLER (n. 377).

Rami adultiores laeves nitidi glabri. *Petioli* $2\frac{1}{2}$ — $1\frac{1}{2}$ poll. longi. *Folia* *majora* 11 poll. longa, $7\frac{1}{2}$ lata, acute acuminata, basi lato-rotundatâ abrupte in petiolum decurrentia, vetustiora fere integerrima, *superiora* 7 poll. longa, 4 lata, suprema adhuc minora, omnia tenuiter membranacea, nascentia hic

(1) Generis vastissimi speciebus americanis, in *Prodromo Candolleano* recensitis, nuper tantus novarum numerus additus est, ut si tutissime has stirpes quis determinare velit, ex ipsorum specimenum comparatione de novo ei incipiendum esset. Species, in sequentibus propositas, diligenter cum descriptis comparavi et novas esse credo.

illic sparsis conicisque pilis rigidulis inspersa, adulta verruculis asperula, secus margines subciliolata. *Inflorescentia* tomentello-pubescens. *Capitula* basi *bracteola* elliptica acuta suffulta, obtusa, virginea $1\frac{1}{2}$, deflorata 3 lin. longa. *Squamae* $1\frac{1}{2}$ lin. longae, viridulae, apice subcoloratae, puberulae, ciliolatae, striolatae. *Pappus* pilosus corollam aequans, fusco-rubiginosus, pilis serrulatis. *Corolla* subcampanulato-tubulosa, dentibus ovatis acutiusculis. *Filamenta* brevia teretia, *antherarum* linearium *connectivum* apice in ligulam ovato-lanceatam, corollae dentes aequantem, basi in processum complanatum marginatum, terminatum. *Stylus* cylindricus, filiformis, deorsum paullo crassior ibidemque praesertim puberulentus, *stigmatibus* muricatis arcuatim exsertis.

Tab. LV. Folium et inflorescentia, naturali magnitudine.

a. fasciculus capitulorum virgineorum, paullo auct. magn.; — *b.* capitulum florens; *c.* flos virgineus; *d.* flos sub anthesi; *e.* pappi pilus; *f.* corollae dens postice; *g.* pars tubi staminei; *h.* anthera separata; *i.* pollen; *j.* stylus; figurae vario gradu auctae.

2. *Mikania gracilis* (SCHULTZ *Bip. mss. in sched.*), volubilis vel scandens?, foliis superioribus ovatis acuminatis, basi rotundatis vel subcordatis, remote et minutissime acute denticulatis, membranaceis, glabris, subtus ad lentem punctulatis, quinque-, superioribus tri-nerviis, thyrsi terminalis ampli compositi puberuli ramulis ultimis racemulosis, capitulis breviter pedunculatis vel subsessilibus, squamis lineari-spathulatis striatis, sub apice puberulis, deorsum glabratis, corollis e basi angustiore tubulosa sursum hypocraterimorphis, limbi dentibus ellipticis acutis dorso subpapilloso-puberulis, antherarum processibus vix exsertis.

Plantam scandentem, floribus candidis, in virgultis detexerunt HOSTMANN et KAPPLER (*Herb.* n. 1017). Praecedenti nec non *M. Parkerianae*, DC., et *M. scandenti*, DC., affinis, glabritie foliorum jam discernenda.

Rami superiores angulati, glabri. *Petioles* bipollicares, tenerrimis pilis inspersi. *Folia* (*superiora*) 4— $4\frac{1}{2}$ poll. longa, $2\frac{1}{2}$ -fere 3 lata, marginibus in sicco subrevoluta. *Inflorescentiae* terminales et ex axillis supremis ortae, in unam majorem compositam collectae, palmares ac spithameae; *rami primarii foliis depauperatis*, *secundarii* ac *sequentes bracteis* pilosulis, denique lan-

ceolatis, instructi. *Capitula* super ultimos ramulos racemose disposita, *pedunculis* brevissimis, 1—1¼ lin. longis, tenuissimis suffulta. *Squamae* obverse lineari-lanceolatae obtusiusculae, 3—5-striatae, 1 lin. longae, puberulae, mox praeter apicem glabrae. *Corollae* vix exsertae, e basi subdilatata tubulosae, ad ½ alt. dilatatae, 5-dentatae. *Achaenia* inaequaliter pentagona, angulis acutis pallidis glabra, caeterum glabriuscula. *Pappus* rubiginoso-griseus.

3. *Mikania surinamensis* (n. sp.), volubilis, ramis subangulatis striatis, petiolis foliisque utrinque pube tenui scabrida inspersis, his longe petiolatis, ovatis, attenuato-acutis submucronatis, basi leviter cordatis inque sinu brevi-cuneatis, lobis quandoque subangulatis, caeterum remote minutissime denticulatis, quinquenerviis, demum glabratis asperulisque, tenuiter membranaceis, corymbis terminalibus compositis, capitulis basi unibracteolatis, racemose vel subcymose dispositis, axibus pedunculisque parce puberulis, his vulgo uno latere alulatis, squamis subinaequalibus lineari-lanceolatis acutiusculis submucronatis, apice puberulo ciliolatis, caeterum glabris, serius obtusatis, viridulis, corollae dentibus dorso papilloso-puberulentis, achaeniis tetragonis ad angulos laeviusculis. *Mikania gonoclada* MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 595. haud DC.

Prope plantationem *La Rencontre* m. Aprili legit cl. FOCKE. Proxima procul dubio *M. alata*, DC. *Prodr.* 5. p. 197. (*Kleinia alata*, MEY. *Esseq.* p. 249—250), ad quam nostram referre haud dubitasset nisi accuratissimus auctor speciei suae folia glabra ac integerrima tribuisset.

Caulis volubilis teretiusculus, angulatus et striatus. *Petioli* tenues, 2—3-pollicares. *Folia* subtus pallidiora, oculo nudo fere integerrima, basi late nec profunde cordata, in sinu medio triangulariter cuneata, apice attenuata nec acuminata, 4 poll. longa, 2¾ lata, angulis extrorsum subangulata. *Corymbi* breves, lati, subfastigiati, terminales et ex axillis supremis, hinc compositi, *ramis primariis* oppositis vel rarius verticillatis, angulato-sulcatis, parcis pilis inspersis. *Bracteae* viridulae parvae lineares persistentes. *Pedunculi* ipsi haud raro alula angusta unilateraliter instructi, filiformes, tenues, 2—1 lin. longi. *Bracteolae* viridulae, squamis triplo breviores. *Squamae* pallide virides, 3-striatae, dorso glabrae laeves nitidulae, rigidulae, apice extenuato acuto

submucronato ciliolatae ac puberulae, serius marcescentes, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin. longae, marginibus scariose pallidae. *Corollae* tubulosae superne subcyathiformes. *Antherarum* connectiva producta subexserta. *Pappus* griseus vel pallide rubellus.

4. *Mikania atriplicifolia* (SCHULTZ Bip. in litt.), volubilis, puberula, foliis longe petiolatis, triangularibus, hastato-cordatis (sinu angusto, lobis truncatis), sinuato-crenatis, corymbis terminalibus et ex axillis supremis cymose compositis, capitulis pedunculatis vel sessilibus, fasciculatis, bracteola elliptico-oblonga acuta pubescente, squamas albidas, lineares, apice subdilatas, mucronatas et puberulas, aliquid superante.

In sylva prope *Vredenburgerkreek* m. Octobri legit cl. FOCKE.

Species volubilis, in sectionem penultimam hujus generis apud DC. inserenda. *Rami* subhexagono-angulati, glabrescentes, *ramuli* pubescentes. *Petioli* 2—1 poll. longi. *Folia* tenuiter membranacea, superne glabriuscula, subtus pallidiora asperiuscule puberula, sub fortiore lente glandulis lucidulis minutissimis inspersa, apice breviter acuminata mucronata, in basis sinu profundo juxta petiolum brevi-triangulariter producta, $2\frac{1}{2}$ —3 poll. longa, 2 lata. *Infloréscentia* pedunculata, contracto-cymosa. *Squamae* serius obtusatae, deorsum tristriatae. *Corollae dentes* dorso papilloso-puberuli. *Tubi staminei* apex aliquid exsertus.

5. *Mikania Hostmanni* (n. sp.), molliuscule pubescens, ramulis hexagonis, foliis longiuscule petiolatis, ovatis vel subangulatis acutis vel subacuminatis, basi recte vel concaviuscule truncatis, in sinu hinc leviter productis, inaequaliter serrato-dentatis, membranaceis, supra parce puberulis, subtus sparse villosulis, tri- vel subquinquenerviis, corymbis axillaribus et terminalibus, trichotomis, convexo-fastigiatis, ramulis ultimis tri- quinquefloris, capitulis pedunculatis, basi bracteola $\frac{1}{2}$ longit. squamae aequante, pubescente, viridula, lanceolata, appressa sustentis, squamis lineari-lanceolatis acutato-mucronatis, duabus extimis angustis dorso puberulis,

duabus intimis glabris striatis latioribus, omnibus apice puberulis, achaeniis acute tetragonis, pappo rufescente.

Specimen mancum in *Herb. Hostm. sub n. 717* inveni. Affinis videtur *M. gonocladae*, DC., cujus vero squamae anthodii aequales statuuntur.

Petioli $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ poll., *folia* $1\frac{1}{2}$ —2 poll. longa. *Capitulorum pedunculi* $\frac{1}{2}$ —2 lin., *squamae* 2— $2\frac{1}{4}$ lin. longae, rigidulae, striatae, pallide virides, exteriores concaviusculae, interiores magis planae, marginibus extenuatae.

6. *Mikania aspera* (Miq. in *Linnaea* Tom. 17. p. 68), florum structura ad sequentem accedit, foliis majoribus et inflorescentia *M. argyrostigmae* propinqua videtur.

Caules subteretes, saepius colorati, scabri. *Petioli* 1 — $\frac{1}{2}$ poll. longi, apice alati, deorsum vulgo curvati, subvolubiles. *Folia* 4—5-pollicaria. *Corymbi* rami divaricate tri- vel bi-partiti. *Capitula* ad ultimos ramulos fere umbellatim sessilia. *Bracteola* nulla. *Squamae* lineari-spathulatae, viridulae, postice setulis scabridae, marginibus scariosae, apice latiores et recurvulae, 1 lin. longae. *Corollae* basi anguste tubulosae, sursum clavatae, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin. longae. *Pappus* sordide ochraceus.

7. *Mikania Fockeana* (Miq. l. c.), olim fuse descripta, in *Herb. Hostm. sub n. 777* etiam exstat. Species insignis *foliis* rigidis, asperri-
mis, *inflorescentia* dense pubescente, capitulorum squamis glabrioribus. *Corollae dentes* ovati acutiusculi, extus papilloso-subpuberuli. *Antherarum* connectiva producta angusta exserta. *Achaenia* plerumque tetragona, glabra vel glabriuscula.

In hujus *varietate pubescente* (SCHULTZ *Bip. in litt.*), ad *Osembo* in *distr. Para* a cl. FOCKE lecta, haec vidi:

Rami teretiusculi, scabro-puberuli. *Folia* breviter petiolata, lanceolato-oblonga vel oblonga, breviter acute acuminata, marginibus subrecurvis argute serrata, basi obtusa vel acuta, venis 2 distantibus utrinque prope basin ortis, supra in sicco atrofusca, aspero-puberula, subtus pallida et scabro-pubes-

centia. *Racemi* axillares et terminales in majorem *paniculam* collecti. *Capitula* opposita, breviter pedunculata, racemos digitales basi compositos sistentia, capitulis scil. inferne saepe fasciculatis. Tota inflorescentia hirtello-pubescent. *Pedunculi* $\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin. longi. *Bracteae* inferiores lineares, semipollicares, summae minutissimae. *Bracteolae* nullae. *Squamae* $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin. longae, lineares, apice subdilatatae acutae pubescentes, sensim aliquid obtusatae recurvulae, dorso medio puberulae, fusco-virides, striatae, marginibus scariosae glaberrimae. *Pappus* pallide ochraceus.

8. *Mikania stipitata* (SCHULTZ *Bip. mss. in sched.*), ramis striulatis, asperulis, superne scabro-puberulis, foliis breviter petiolatis, lanceolato-vel elliptico-oblongis vel subobovato-oblongis, plerumque utrinque acutis vel apice magis attenuatis, coriaceis, remotissime subdenticulatis, supra glabris, subtus super nervos tenerrimis pilis inspersis glanduloseque punctulatis, quintuplinerviis, corymbis axillaribus et terminalibus in paniculam amplam ovatam collectis, ramulis ultimis vulgo tripartitis, capitulis 3—5-fasciculatis, sessilibus vel subsessilibus, singulis bracteola parva subspathulata obtusa puberula stipatis (bracteolis circa fasciculos quasi verticillatis), squamis linearibus obtusiusculis, duabus interioribus glabris, duabus exterioribus subpuberulis, pappo rufo.

In Surinamo detexit cl. HOSTMANN (*Herb. n. 602*), prope *M. Fockeanam* et *M. asperam* inserenda.

Rami teretes. *Petioli superiores* 3—4 lin., folia 3—4 poll. longa, $1\frac{1}{4}$ lata. *Pedunculi communes* $2\frac{1}{2}$ —1 poll. *Axes primarii* striati, superiores angulati, glanduloso-punctati, omnes pube conspersi. *Bracteola* squamis $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ brevior. *Squamae* rigidae, appressae, aequilongae, exteriores dorso parce puberulae, interiores glabrae, planae, $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{3}{4}$ lin. longae, omnes apice subdilatato puberulae et ciliolatae. *Corollae* dentes ovati, dorso subpuberuli. *Stamina* aliquid exserta. *Achaenia* glabra.

UNXIA, LINN. *fil.*

Capitulum bibracteolatum, monoicum, pluriflorum, *involucris squamis*

quinque ovatis. *Flores radii* quinque, ligulati, feminei, fertiles, parvi, *disci* quinque masculi, illi *paleis* longis, hi depauperatis discriminati. *Achaenia* (radii) obovoidea subcuneata leviter compressa, calva, areola basilari subobliqua.

Unxia camphorata, LINN. *fl. Suppl.* p. 56. DC. *Prodr.* Tom. 5. p. 507.

In savanis arenosis prope *Post Oranjewoud* a cl. FOCKE lecta, in Guiana haud rara stirps esse videtur. Cum autem nec a LINNAEO *fl.* nec a reliquis auctoribus hucusque accurate descripta fuerit, speciminum meorum fere defloratorum adumbrationem addere liceat.

Herba dichotome ac divaricate ramosa, villosa, sensim glabrescens; *rami* basi sublignescens, leviter striati, superne hirti, internodiis saepe quadri-pollicaribus. *Folia* opposita, ad dichotomias sessilia vel vix, basi contractiusculâ, subpetiolata, lanceolata vel lanceata acute attenuata, integerrima, 5-nervia, villosa, 1—1½ pollicaria. *Capitula* axillaria, brevissime pedunculata, opposita, solitaria vel et terminalia terna, florentia pisi magnitudinis, deflorata paulo majora. *Bracteolae* 2 magnae, ovatae, herbaceae, villosae, quasi involucrantes, immediate infra involucrum insertae, persistentes. *Involucrisquamae* 5 ovatae vel ellipticae, scariosae, striolatae, concavae, glabrae vel 2 exteriores concaviores, basi villosulae vel dorso etiam pilis quibusdam longis inspersae, apice obtusiusculae, aequales. *Paleae radii* lineares, elongatae, sursum aliquid latiores, *interiores seu disci* parvulae, lineares, angustiores, persistentes. *Receptaculum* convexum. *Flores disci* polygamo-masculi: *ovarium* nanum apice obsolete marginatum; *corolla* subcampanulato-tubulosa, pentagona, 5-dentata, glabra; *tubus stamineus* exsertus, extus pilis patentibus inspersus; *antherarum connectivum* in apiculum obtusiusculum productum; *stylus* cylindricus, in *stigma* capitellatum, muricato-pilosum, inclusum, terminatus. *Flores radii* florentes haud vidi, sed *achaenia* matura, singula squamis concavatis recepta, ¼—½ lin. longa, obovoidea, aliquid compressa subcuneata, fusculo-plumbeo-variegata, apice truncato obsolete subdenticulata.

TAB. LVI. Pars plantae superior, magnitudine naturali.

a. capitulum defloratum; *b.* idem, floribus achaeniisque remotis, apertum; *c.* palea radii; *d.* flos disci; *e.* ejus anthera; *f.* pollen; *g.* stylus; — *h.* achaenium maturum fertile; — figurae vario gradu auctae.

Adnotatio. Congener, imo conspecificum, videtur *Pronacron ramosissimum*, CASS. — DC. *Prodr.* Tom. 5. p. 508, cui, *bracteolis* pro involucri squamis habitis, *involucrum* tribuitur *biseriale* 7-phyllum, phyllis 2 ext. villosis. — Charactere Linnaeano, cum natura haud congruente, probabiliter factum est, ut et CASSINIUS et reliqui auctores hoc genus ab *Unxia* diversum crediderint. — Caeterum *Unxia* maxime *Clibadio* accedit.

WULFFIA, NECK. (*Tilesia*, MEY. *Esseq.* p. 251.)

1. *Wulffia capitata* (SCHUTZ. *Bip. in Linnaea* Tom. 21. p. 246), caule tetragono sulcato subscabro, foliis ovatis, serrato-crenatis, coriaceis, utrinque scaberrimis, venosis, venis basim versus approximatis, curvatis, capitulis plerumque terminalibus ternis vel solitariis, ligulis croceis bifidis. — *Tilesia capitata*, MEY. *l. c.* — MIQ. *in diario: Instituut*, 1842. p. 201 partim.

Crescit in *Colonia Essequiboensi* (RODSCH. apud MEY.); in *Surinamo* (FOCKE). — *Petioli* semipollicares, setulosi. *Folia* 3—3½ poll. longa, 2 lata. Reliqua cl. MEYER *l. c.* exactissime descripsit.

2. *Wulffia elongata* (n. sp.), scabra, caulibus tetragonis, lateribus concavatis, foliis elliptico-vel oblongo-lanceolatis attenuato-acutis, basi plerumque acutis, serrulatis, coriaceis, utrinque scabris, nitidis, subtus pallidis, venis distinctioribus quinis vel senis, curvatis, adscendentibus, ante marginem unitis, capitulis ramos ramulosque terminantibus ternis: medio breviter, lateralibus longe pedunculatis, pedunculis lateralibus aliquando trifidis tricephalis.

In Surinamo, v. c. prope *Paramaribo* urbem, legit FOCKE.

Ramorum anguli obtusi setulis appressissimis, facies demissiores pilis tenuibus. *Petioli* 4—5 lin. longi scabri. *Folia* basi subabrupte acuta, in petiolum

subdecurentia, marginibus recurvula, apice vulgo paulo obliqua, 6—7 poll. longa, infra medium $1\frac{3}{4}$, vulgo 2, raro $2\frac{1}{4}$ lata. *Capituli squamae* exteriores ovaes, ovali-lanceolatae, puberulae, interiores sensim angustiores rigidae striatae, paleaceae. *Ligulae* luteae, $2\frac{1}{2}$ —3 lin. longae, $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ ab apice bifidae. *Paleae* carinato-concavae pungenti-acutatae apiceque puberulae. — *Wulffiae* maculatae, DC., proxima videtur.

3. *Wulffia stenoglossa*, DC. *Prodr.* Tom. 5. p. 564. *Varietas foliis basi cuneatis*; caule tetragono-sulcato, scabro, foliis membranaceis, utrinque scabris, lato-ellipticis vel ovato-ellipticis acuminatis, basi lata subito cuneatis, serrato-crenatis, venis binis vel ternis prope basim curvato-adscendentibus, unâque in folii parte superiore, ante marginem unitis, capitulis terminalibus, ternis?, ligulis longis spathulato-linearibus, apice submarginato subpuberulis.

Frutex in hortis et cultis Surinamensibus spontaneus, a specie citata, quantum e breviori diagnosi Candolleana conjicere licet, vix specificè diversus.

Petioli tenues, scabri, vulgo fere pollicares. *Folia* subtus pallidiora, pilis supra rarioribus sed rigidioribus quam subtus, crenis rotundis apice appresso-submucronatis, marginibus haud recurvis, 7— $7\frac{1}{2}$ poll. longa, 3—fere 4 lata. *Paleae* ut in praecedentibus, sed apice aliquid latiore acutatae et manifesto ciliatae. *Ligulae* 6— $6\frac{1}{2}$ lin. longae, binerves, in sicco pallidissimae, apiceque retusae.

Observatio. An haec eadem stirps, quam inter plantas Schomburgkianas sub *Tilesia capitata*, non sine dubitatione, enumeravit cl. BENTHAM in Hook. *Journ. of Bot.* Tom. 2. p. 49?

Wedeliam scaberrimam, l. c. etiam propositam, *Wulffiae* generi annumerandam esse, suspicor.

C E L T I D E A E.

S P O N I A, COMMERS.

1. *Sponia micrantha* (DECAISN. *Herb. Timor.*), ramulis, petiolis, foliisque subtus ad nervos pilis patentibus vel semipatentibus hirtellis, foliis ovato-oblongis (vel summis sub lanceolatis), longe acuminatis, basi inaequali subcordatis, serratis, utrinque asperis, subtus pallidioribus, cymis geminis sessilibus, petiolum superantibus vel aequantibus, drupis ovatis glaberrimis, circiter lineam longis. — *Celtis*, Sw. *Ind. occ.* Tom. 1. p. 547. *Sponia*, PLANCHON in *Ann. d. Sc. nat.* 3^{me} sér. Decemb. 1848. p. 333 (edit. m. Julii 1849!).

Varietas foliis subtus dense et molliter pubescentibus (PLANCHON l. c.).

Species in *insulis Caribaeis* et *America australi* tropica haud rara. *Varietas* foliorum vestitu ut videtur constans, deficiente certiore discrimine, speciei titulo tamen vix digna, in *Brasilia* et *Guiana* simul cum ipsa genuina specie habitat. (Focke, Hostm. n. 178. Kappl. n. 1884).

Rami teretes, vetustiores glabrati. *Ramuli* compressiusculi, pilis albidis brevibus curvatis inspersi. *Petioli* graciles sed breves, majores semipollicares. *Folia* longe attenuato-acuminata, adulta superne, pilis deciduis, verruculis exilibus relictis, aspera. *Cymularum* rami hirtelli. *Flores* brevissime pedicellati vel sessiles. *Perigonii sepala* extus strigillosa, marginibus lanato-ciliata, concava, in *fl. masc.* ovata, in *femineis* angustiora. *Filamenta* sepalis longiora; *antherae* didymae. *Pistillum nanum* in *fl. masc.* cylindraceum, apice irregulariter stigmatosum, muriculatum. *Fl. fem. ovarium* ovatum, *stigmatibus* 4 filiformibus.

TAB. LVII. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. flos masc. anthesi incipiente; *b.* sub anthesi; *c.* stamen; *d.* flos fem. — figurae auct. magnitudine.

L A U R I N A E.

NECTANDRA, ROTTE. — NEES AB ESENB.

1. *Nectandra* (Porostema) *leucantha* (NEES *Syst. Laur.* p. 310), foliis elliptico-oblongis, coriaceo-chartaceis, concoloribus, paniculis axillaribus et infraterminalibus paucifloris rigidis subpubescentibus, l. c.

Arbor teste NEES 25-pedalis, ex SCHOMBURGKIO 50 pedes aequans, in *Brasilia* variis locis crescens, foliorum forma et inflorescentiae habitu variabilis, in *Guiana britannica* a cl. SCHOMBURGK reperta (qui formam guianensem a sp. brasil. diversam credidit et corticem, »*Beeberou*» dictum, tanquam medicamentum antifebrile laudavit). Ab HOSTMANNO in *Surinami sylvis* nuper etiam detecta est. In *Guiana britannica Bibiru* v. *Sipiri* indigenis, Anglis *Greenhart* vocatur, quo posteriore nomine vero Surinamenses *Tecomam* (Bignoniam) *leucoxydon* intelligunt.

Arboris cortex cinereus est et laevigatus, *ramuli* juniores compresso-angulati. *Folia* 3—8 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{3}{4}$ lata, in acumen longum vel brevius vulgo obtusiusculum desinentia, basi in *petiolum* brevem latum contracta, venis costalibus senis vel raro septenis. *Pedunculi communes* 3—1 poll. longi, stricti, apice puberuli, trifidi, ramuli duo inferiores subalterni, breves, triflori, medii apice 7-pluri-flori. *Pedicelli* $1\frac{1}{2}$ lin. longi, pubescenti-tomentosuli, crassi. *Flores expansi* 5 lin. lati; *perigonium* rotatum, *tubo* brevi turbinato, *limbo* regulari, *laciniis* aequalibus obovato-subrotundis, subcoriaceo-mollibus, subtilissime puberulo-scabris, pellucido-punctatis, 3 interioribus paullo minoribus lineisque duabus, sursum conniventibus, ad basin impressis, notatis. *Antherae* primi et secundi ordinis subsessiles, basi lata vix contracta; exteriores transversales, mediae transversaliter trigonae, cunctae obtusissimae, basin versus utrinque bilocellatae, poris subrotundis parvis fere in lineam transversalem dispositis, interiore paulo majore; tertii ordinis antherae truncato-obpyramidatae, compressae, basi paulo evidentius contractae; locelli fere laterales, unus supra altero positus, inferior, paullo major, retrorsum conversus. *Glandulae* binae magnae globosae, ad basin horum staminum sessiles.

magisque posticae. *Staminodia* quarti ordinis parva, stipite crasso, capitulo oblongo vel trigono obtuso. *Ovarium* depresso-globosum; *stylus* ovario brevior, *stigma* indistinctum. Lacinae perigoniales post anthesin cadunt et tubus restat. *Fructus* immaturus piso duplo major. — *Variat* floribus pentameris — (e NEESII opere praesertim mutuata adumbratio speciminis brasiliensis).

Nectandrae Rodiaei nomine *cl.* SCHOMBURGK (*Lond. Journ. of Bot.* Tom. 3. p. 626) hujus arboris formam guianensem descripsit, floribus minoribus, $2\frac{1}{2}$ —3 lin. latis, insignem, quam vero *cl.* NEES AB ESENBECK *N. leucanthae* varietatem esse nuper monuit (*Linnaea* Tom. 21. p. 508).

Forma inter utramque fere media a *cl.* SCHOMBURGK in *Guiana britannica*, ab HOSTMANNO (n. 235) et KEGELIO (n. 193) in *Surinamo* lecta est.

Accuratius autem has formas examinanti, dubium fere videri posset, num revera varietatum titulo ad *N.* illam *leucantham* referri debeant. In *Nect. Rodiaei* specimine Schomburgkiano (n. 29), ramuli, inflorescentia et folia praesertim juniora utrinque pube densissima, sub lente perspicua, molli, fuscule, obducta. *Folia* alterna vel subopposita, *petiolis* semipollicaribus sustentata, lanceolato-oblonga in acumen obtusum modicum desinentia, basi acuta, venis costalibus adscendentibus parallelis crassiusculis pertensa, 5—3 poll. longa, $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ lata. *Inflorescentiae* axillares iteratim divisae. *Flores* fere tres lineas lati.

Ab hac quodammodo differre videtur specimen *Herbarii* HOSTM. (n. 235 et n. A). Donec autem in ipsa patria accuratius hae arbores discriminatae sint, tanquam *Nectandrae leucanthae* formam adhuc enumerare libet. — *Ramuli* valde angulati, pariter ac *petioli* foliaque, pube tenuissima et rariore sensim evanescente et aliquantulum scabriuscula, inspersi; paniculae contra ut in praecedente et in sequentibus rufulo-tomentellae. *Petioli* $\frac{1}{2}$ -pollicares, semitereti-subtrigoni, antice sulcati. *Folia* coriaceo-chartacea, lato-vel oblongo-elliptica, basi lata, rotundata, imâ vero subabrupte brevissime cuneata acuta, apice subabrupte in acumen angustum acutiusculum terminata, aequilatera vel inaequilatera, marginibus ad basim leviter revolutis, supra demum glaberrima, costa venisque impressis et subrubiginosis pertensa, subtus adulta etiam teneris appressis pilis inspersa, costa venisque costalibus patule adscendentibus senis usque octonis, vulgo septenis, in sicco subfuscescentibus, prominentibus, tenerrime reticulatis, infimarum venarum axillis saepe barbularis, notata, 5—7 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ —3, vulgo $3\frac{1}{2}$ lata. *Gemmae*

ovatae acutae, rufo-sericeo-tomentosae. *Inflorescentiae* axillares, folio $\frac{1}{3}$ breviores, pedunculis ramulisque compressiusculis. *Ramuli* alterni et oppositi, 3—6-flori. *Alabastra* obovato-globosa, pedicellata. *Perigonii tubus* obconicus fuscule hirtellus, *limbus* 2— $2\frac{1}{3}$ lin. latus, *laciniis* subellipticis, intus spongioso-tomentellis, 3 latioribus, 3 manifesto angustioribus. *Antherae* vertice dense tomentellae. *Glandulae* crassae. *Stylus* crassiusculus, parumper inter stamina emersus, *stigmatibus* subcapitellato et perspicue trigono. *Ovarium* ovato-globosum.

Specimina etiam suppetunt omnibus partibus minora, alioquin autem nequaquam diversa.

TAB. LVIII. Ramus florens *N. leuc. var.*, nat. magnitudine, ad n. 235 HOSTM. a. ovarium, auct. magn.

Observatio. Specimen hoc Hostmannianum cum *descriptione* a cl. ROB. SCHOMBURGK l. c. proposita satis congruit, at *specimen siccum* Schomb. a me examinatum foliis angustioribus, pilosioribus et floribus majoribus differt. Glandulas cl. auctor praetervidisse videtur.

Nectandra leucantha ejusque formae speciebus duabus sequentibus admodum similes sunt, tum foliorum colore et venatione tum florum structura. Vix dubito, quin hisce omnibus similis vel eadem virtus medicata inhaereat. Omnes praesertim secus fluminum guianensium ripas crescunt.

2. *Nectandra* (Porostema) *pallida* (NEES AB ESENB. in *Linnaea* Tom. 21. p. 510), ramulis angulatis, foliis oblongo-lanceolatis attenuato-acuminatis, basis cuneatae marginibus revolutis in petioli margines continuatis, chartaceo-coriaceis, utrinque cum ramulis pulverulento-puberulis, costis quinque-septenis, aequabiliter dispositis, adscendentibus, subtus valde prominentibus, prope marginem leviter incurvum evanescentibus, axillis barbulatis, thyrsis compositis: ramis trichotomo-ramosis pulverulento-tomentellis, floribus plerumque ternis pedicellatis, extus hirtellis, intus antherisque spongioso-tomentellis.

Arborem, floribus albis, in ripa *fluminis Commewyne superioris*, m. Aug., invenit KAPPLER (*Herb.* n. 1827).

Num hanc recte ad speciem Neesianam retulerim, absque speciminis authentici examine pro certo affirmare haud ausim, quum illustris Laurinarum monographus, qui in describendis his stirpibus alioquin omnes omnino notas quam diligentissime et accuratissime proponere solebat, hanc non nisi paucis verbis adumbraverit. Exsiccatione omnes partes pallidae, flores fuscii. *Ramuli petioli, foliorum nervi* densius, (*parenchyma* parcius) nec non *inflorescentia, pube tenerrima*, sub lente vix satis conspicua, obducta sunt, *quasi tenere furfuracea*. *Folia* alterna, *petiolis* semiteretibus, antice planis medioque sulcatis, 3—4 lin. longis, sustenta, aequilatera vel subobliqua, in acumen modicum obtusiusculum desinentia, 6—8½, vulgo 8-poll. longa, 1½—2¼, vulgo 2 lata, supra pube sparsa, in nervis densiore, subtus vero confertiore et diutius persistente, instructa, costis fere rectilineis parallelis, prope marginem curvulis et in reticulationes desinentibus, anastomosibus horizontalibus parallelis reticulatis. *Inflorescentiae*, in superioribus axillis solitariae, *pedunculis* 1—2-pollicaribus, thyrsoideae, paniculaeformes, *axi ramisque* leviter compressis, alternis, suboppositis oppositisve; *bracteae* caducae, cicatrices elevatas semicirculares relinquentes; *rami* circiter 4 lin. longi, bifidi vel simplices, ramulis vulgo apice trifloris. *Flores* pedicellati. *Alabastra* obovoideoglobosa. *Perigonium* 2—2½ lin. in diam., subrotatum, *lobis* obovato-oblongis, 3 ext. paullo majoribus, intus spongioso-tomentellis. *Stamina* e perigonio vix exserta, ut in sequenti specie.

TAB. LIX. A. Ramus florens, nat. magnitudine.

3. *Nectandra* (Porostema) *Pisi* (n. sp.), foliis oblongis vel ellipticis, raro sublanceolatis, acuminatis vel acutis, basi subcuneato-acuta revolutis, saepe inaequilateris, coriaceo-chartaceis, utrinque cum ramulis pulverulento-puberulis, costis senis raro quinis, inferioribus praesertim in axillis barbulatis, thyrsis in axillis superioribus solitariis, pedunculatis: ramis trichotomo-ramulosis, pulverulento-tomentellis, floribus plerumque ternis, extus hirtis, intus antherisque spongioso-tomentellis.

Arborem floribus albis fructuque onustam, ad ripam fluminis prope *Bergendaal*, m. Majo, legit cl. FOCKE.

Praecedenti specie eo gradu affinis est, ut nisi foliorum forma, constanter ut videtur diversa, obstaret, absque dubio ad illam retulissem.

Rami cylindrici, glabri, fusco-cinerascentes; ramuli angulati, densa tenerri-
maque pube subochracea vestiti. *Petioli* semitereti-compressi, antice sulcati,
4—5 lin. longi. *Folia* demum supra glabra nitida, juniora omnino ut in
praecedente puberula, subtus cum reliquis partibus junioribus dense puberula
inque costarum, praesertim inferiorum trium vel et omnium, axillis fere aureo-
barbata, anastomosibus rectis vel aliquid curvatis, acumine vulgo brevior et
acuto, 4—5, raro 5½—6 poll. longa, 1½—2½ lata. *Perigonium* ut in prae-
cedente. *Tubus* obconicus brevis, appresse hirtellus; *limbus* patentissimus, 3
lin. in diam., *lobis* 6, longitudine subaequalibus sed tribus alternis basi
aliquid angustioribus, obovato-ellipticis, apice subtriangulati-obtusiusculis,
dorso ad basim spatio triangulati villosiore notatis, pilis appressis sericantibus,
3 latioribus vero toto dorso hoc modo hirtulis, intus omnibus spongioso-
rubiginoso-tomentellis, illisque angustioribus ita dorso etiam, ubi pili desunt.
Stamina 9 imbricata, e tubo vix exserta. *Glandulae* 6, cum laciniis limbi al-
ternae, obtusae, crassae, demum concaviusculae, ad dorsum staminum trium
interiorum geminato-dispositae, perigonio partim immersae. *Stamina* 6 ex-
terna et 3 interna, conformia, *antheris* quadratis, sursum dilatatis, deor-
sum cuneatis, dorso apiceque tomentellis, quadrilocellatis, exterioribus 3 anti-
cis, interioribus 3 posticis, ostioli ellipticis utriusque lateris parallelis appositis,
omnibus in arcu dispositis. *Staminodia* tria minuta, glanduloso-subcapitellata,
in diversis floribus mox distinctiora mox fere obsoleta. *Ovarium* ellipticum,
perigonii tubum implens, *stylus* cylindricus, *stigma* truncatum subtriangu-
lare, subtrilobulatum, parvum, stamina aequans. *Bacca* immatura semipollicaris,
oblongo-globosa, vertice excavata, *perigonii limbo pateriformi-explanato*,
irregulariter subtrilobulato, cum pedicello incrassato induratoque, antherisque
grandefactis rigidis baccae ipsius basi immersis, sustentata.

TAB. LX. Ramus florens et fructifer, nat. magnitudine.

a. perigonium cum pedicello; *b.* antherae cum stylo; *c.* anthera ■ ventre
et dorso; *d.* stylus cum stigmate; figurae vario gradu auctae.

4. *Nectandra* (Porostema) *cuspidata* (NEES AB ESENB. *Syst. Laurin.*
p. 330).

Arbor cum praecedente crescens, incolis etiam *Pisi* dicta. Ligno etiam
ad palos fabricandos aliaque opera fabrilia adhibent incolae. In *Herb.*
HOSTM. sub n. 790 exstat.

Stirps variabilis, e descriptione Neesiana tamen cognoscenda; floribus duplo minoribus a duabus praecedentibus differt, cum quibus, addendis aliis etiam, sectionem perquam naturalem hujus generis constituit. *Folia* chartaceo-coriacea, supra mox glabra, subtus brevissima pube inspersa, lanceata, breviter acuteque acutata, costis quaternis, ternisve, raro quinis, vulgo infra mediam alt. sitis. *Flores* intus pube spongiosa vel furfuracea mox evanescenti obtecti, extus pube appressa canescentes. — Inflorescentiae axillares vel paniculatim confertae.

TAB. LIX. B. Inflorescentia cum folio, nat. magnitudine.

a. flores; *b.* anthera a dorso et ventre; *c.* stylus, auct. magnitudine.

Observatio. Specimen *Herb. SCHOMBURGK.* n. 987, tanquam *Oreodaphnem costulata* cl. NEES AB ESENB. nuper proposuit; sub eodem numero mihi vero *Nectandrae* sp. suppetit. (Cf. *Linnaea* Tom. 21. p. 529).

OREODAPHNE, NEES AB ESENB.

1. *Oreodaphne* (*Agriodaphne*) *marowynensis* (n. sp.), ramulis, petioliculis, inflorescentia floribusque purpureo-fuscis, foliis elliptico-oblongis in acumen lanceolato-lineare rectum vel falcatum longum desinentibus, basi acuta vix in petiolum decurrentibus, praeter imam basim petiolumque juvenilium subpuberulum, glabris, chartaceis, margine subundulato-inflexis, venis costalibus quinis vel senis patule adscendentibus anastomosantibus, thyrsis paniculatis axillaribus subpyramidatis, folio brevioribus vel subaequalibus: ramis alternis vel suboppositis, ramulis trifloris vel unifloris, perigoniis breviter subgloboso-campanulatis glabris, lobis ovatis. — E Sect. *eporum*.

Arbor floribus albis, ad *flumen Marrowyne superius*, m. Augusto florens, a KAPPLERO detecta (HOSTM. et KAPPL. n. 629. b. b. *Nectandra revoluta* a me perperam dicta).

O. caudatae proxima est characteribus, sed habitu, partiumque colore recedit et distinctam speciem sistere mihi videtur. *Rami* teretiusculi,

glabri, ramuli apice minute strigillosi, *gemma terminalis* acuminata dense sericeo-strigosa. *Petiolus* semiteres, 3—4 lin. longus. *Folia* 3—5 poll. longa, $1\frac{1}{4}$ -fere 2 lata; alia multo minora. *Inflorescentia* patula dissitiflora, 2— $3\frac{1}{2}$ poll. longa. *Flores* nutantes, 1 lin. in diam. *Glandulae* pubescentes ad dorsum filamentorum.

Adnotatio. Numerus 964 *Herb. Hostm.* teste cl. NEES AB ESENB. (*Linnaea* Tom. 21. p. 519) est *Oreodaphne* (Agriod.) *caudata*, brevioris phrasi ab eo ibidem descripta. Specimen meum vero in phrasi paulo recedit; *folia* elliptica vel ovato-elliptica in acumen longum angustum subfalcatum desinentia, basi acuta, utrinque glabra eporosa, costulis venosis quinque arcuatis, marginibus leviter incurva, pallida, 4— $6\frac{1}{2}$ -vulgo 6 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ —2 lata, *petioli* semiteretes pallidi, antice obsolete canaliculati, 2—3 lin. longi; *inflorescentia* thyrsoidae-paniculata racemosa, axillaris, cum floribus glabra, inferne ramosa, superne simplex, $1\frac{1}{2}$ poll. longa, *floribus* ternis vel solitariis. *Perigonium* breviter pedicellatum, subinfundibuliformi-campanulatum, pallidum, *lobis* 6 ovatis vix acutis.

2. *Oreodaphne* (Agriodaphne) *Hostmanniana* (n. sp.), ramulis, petiolis, foliis utrinque in nervis ac inflorescentia puberulis, foliis modice petiolatis, oblongis acuminatis, basi acutis, tenuiter chartaceis, venis costalibus quinque vel senis arcuato-ascendentibus reticulatisque, racemis compositis vel simplicibus, axillaribus, folio brevioribus, laxis, pendulis, perigonio semigloboso intus ad basim hirtello, caeterum glabro, staminibus exterioribus perigonium subaequantibus, antheris filamentis brevioribus, valvulis inferioribus oblongis majoribus.

HOSTM. et KAPPL. *Herb.* 1286. Specimen mancum. *Petioli* 3 lin., *folia* 4—6 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ lata, costulis ante marginem in rete venosum solutis. *Inflorescentia* 1—2 poll. longa, pauciflora. *Bractae* oblongae vel lanceolatae, hirtellae; deciduae. *Perigonium* 1— $1\frac{1}{2}$ lin. in diam.

Adnotatio. Stirps laurina, quam *Nectandrae Neesianae* nomine in *Lin-*

naea Tom. 18. p. 745 ad n. 1433. *Herb.* KAPPL. descripsi, a cl. NEES AB ESENBECK (*Linnaea* Tom. 21. p. 506) cum *Nectandra salicifolia* conjuncta est. Hac in re et ego et cel. auctor erravimus. Accuratus enim e perfectiore specimine examinata, haud *Nectandrae*, sed *Oreodaphnes* (Agriod.) species est, habitu et praesertim foliorum forma *N. salicifoliae* similis, quam nunc ***Oreodaphnem fallacem*** dico, prope *O. caudatam* collocandam. *Perigonium* habet globoso-campanulatum; *glandulas* sessiles olim pro staminodiis habui, quod in caractere proposito emendetur.

Stirps consimilis *Herb.* HOSTM. n. 973, a NEESIO ad eandem *N. salicifoliam* relata, *nova Nectandra* mihi esse videtur, nam flores non uti phrasis postulat, glabri sunt, sed dorso ad basim, cum pedicello et inflorescentia, minute appresse hirtelli, intus tomentelli. Foliis *Oreodaphni fallaci* simillima est.

GOEPPERTIA, NEES AB ESENBECK.

1. ***Goepertia multiflora*** (n. sp.), foliis breviter petiolatis, oblongis vel obovato-oblongis breviter acuminatis, acutis vel obtusiusculis, basi acutiusculis, marginibus revolutis, costulis fere octonis, subtus incano-subhirsuto-tomentosis, supra molliter pubescentibus et cum ramulis petiolisque in nervo medio rubiginoso-hirtellis, inflorescentiis ad ramulorum vertices axillaribus, pedunculatis, composito-paniculatis, fusco-pubescenti-hirtis: ramis primariis suboppositis vel alternis, ramosis, racemoso-vel fasciculato-floriferis, griseo-hirsutis, floribus breviter pedicellatis extus hirtis, campanulatis, limbi lobis reflexis, glabris, fuscis, tubum superantibus.

Herb. HOSTM. 1163. — Generis characteri exacte convenit, inflorescentia inter congeneres singularis. *Petioli* crassi, antice sulcati, 5—3 lin. *Folia* 4½—5 poll. longa, 2 supra medium lata, subtus subscrobiculata. *Inflores-*

centiae 6—7 poll. longae, $\frac{1}{3}$ parte inf. nudae, pyramidatae; *bractee* lanceolatae, fusco-tomentellae. *Flores* in sicco fusci, 1 lin. angustiores.

NYCTAGINEAE.

BOERHAAVIA, LINN.

1. *Boerhaavia surinamensis* (Miq. in *Linnaea* Tom. 18. p. 244), herbacea, adscendens, caule glabro, ramis nunc parce pilosis, foliis ovatis obtusis, repando-angulatis, ciliatis, subtus discoloribus, in nervis petiolisque junioribus fugaciter pilosis, inflorescentia terminali laxa, dichotoma, pedunculis bifidis subcymose confertis, floribus diandris, perigonio basi costato subglabro, superne tumido quinquedentato pilis capitellatis puberulo.

In Surinamo haud rara stirps, a cl. FOCKE missa, nec non in *Herb. Hostm. Kappl.* n. 759. edita, nova mihi olim visa, nuper a cl. CHOISY, qui specimina haud vidit (*DC. Prodr.* Tom. 13. 2. p. 451), ad *B. hirsutam*, WILLD., relata, quacum autem nequaquam conjungere audeo.

Caules pedales et altiores, *internodiis* digitum vel spithamam longis; *rami* aliquando pilis raris longis, circa nodos densioribus, inspersi. *Petioli* 3—6 lin. longi, canaliculati. *Folia* in sicco coriaceo-membranacea, ovata, obtusa, quaedam summa acuta, repando-sinuata, hinc subangulata, pilis multiarticulatis ciliolata, imo sub fortiore lente subdenticulata, supra obscura, glabra, subtus venis quinis senisve notata, 1-fere 2 poll. longa, in eodem jugo vulgo inaequalia. *Inflorescentia* $\frac{1}{4}$ —1 pedem aequans, laxa, vaga, ramulis ultimis floriferis, cymosis. *Flores* initio subsessiles, ideo ad ultimos ramulos fasciculati, maturi breviter pedicellati, basi *bracteolarum* lanceolarum serie involucriati. *Perigonii tubus* ima basi costatus sublaevis, superne, infra limbum 5-dentatum, tumidus pilisque capitellatis pubescens, in fructu vero glabratus et a parte inferiore haud diversus, quadricostatus, elongato-clavatus, angulis viridi-glandulosus, faciebus demissis pallidis. *Semen* pallidum.

L O R A N T H A C E A E.

L O R A N T H U S , L I N N . — M A R T .

1. *Loranthus chloranthus* (n. sp.), ramis teretibus superne tetragonis rubiginoso-lepidotis, glabrescentibus, foliis densis, decussato-oppositis, raro suboppositis, breviter petiolatis, ovato- vel oblongo ellipticis obtusis, mucronulatis, coriaceis, glabris, junioribus secus margines squamulosis, nervo medio tenui sursum evanescente, submultiplivenio, spicis axillaribus folio multum brevioribus, solitariis vel saepe ternis, floribus tetrastichis, oppositis, rhachis glabrae foveis immersis, basi bractea latissima brevi suffultis, calyculi (calycis) semiglobosi limbo truncato, sepalis (petalis) sex, eo vix duplo longioribus, staminibus his paulo brevioribus, antheris ovatis, baccis alte emersis, suburceolato-oblongis, subtruncatis, papillosis.

In arboribus diversis parasitatem, prope *Bergendaal*, m. Septembri, detexit cl. Focke, qui a *L. surinamensi* (*Linnaea* 18. p. 63), quocum antea conjunxeram (ibid. p. 603), differre et floribus viridulis, in illo rubris, facile distinguendum esse, literis me monuit.

Internodia $\frac{1}{2}$ —1 poll. longa. *Petioli* lineam aequantes. *Folia* in sicco nigrescentia, utrinque tenere reticulata, patula, 1—1 $\frac{1}{2}$ pollice aliquid longiora, $\frac{1}{2}$ -fere 1 poll. lata, aliquando inaequilatera. *Spicae* 4—6 lin. circiter longae, *flores* parvi, vix $\frac{1}{3}$ lin. *Sepala* (petala) subspathulato-lineararia, obtusiuscula. *Stylus* crassus, sulcatus, *stigma* plano-capitellatum. *Baccae* 1 lin. paulo longiores.

STRUTHANTHUS, MART.

1. *Struthanthus cuspidatus*, DON. *Gener. Syst. Dichl. Pl.* Tom. 3. p. 414. MIQ. in *Linnaea* Tom. 18. p. 64. — DC. *Prodr.* Tom. 4. p. 290, sub *Lorantho*.

Fruticulus in *Citro Aurantio* parasiticus, haud rarus, floribus albis, a cl. FOCKE detectus, ad speciem citatam e brevior sed plane congruente phrasi jure referendus videtur. Maxime affinis est *Str.* (*Lor.* DC.) *syri-gaefolio*, sed statura omnium partium minore jam distinguendus.

Rami vetustiores calamo scriptorio crassiores, cylindrici vel obtuso-tetragoni, *pulvinaribus* crassis nodosi, *internodiis* 2— $\frac{1}{2}$ poll. longis, albido-grisei, verruculosi, *ligno* pallido. *Ramuli* angulo recto exserti. *Folia* in ramulis annuis et biennibus, decussato-opposita, subdisticha, in *pulvinaribus* quasi articulata, *petiolis* semiteretibus, antice sulcatis, 4—5 lin. longis, haud crassis, sustenta, elliptica, basi acuta, apice subacuminata, attenuato-acutata vel obtusiuscula, aequilatera, coriacea, marginibus plana, nervo medio subtus prominente, venis paucis patulo-erectis vix distinctis, $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ — $2\frac{2}{3}$, vulgo 2 poll. longa, 6—8 lin. lata. *Thyrsum* axillares, oppositi, solitarii, 1—2 poll. longi: *axis ramique* tetragono-compressi, articulati, fragiles; *rami* oppositi, apice ut plurimum triflori, horizontales, 1—2 lin. longi, 2—3 in utroque axis latere, apice tres *bracteas* ovatas, concavas, pro singulo flore unam, gerentes. *Calyculus* (calyx auct.) e basi acutiuscula subsemiglobosus, limbo extenuato pallido obsolete 6-denticulato. *Sepala* (petala) 6, in alabastro clavato fere 2 lin. longa, valvata, basi attenuata, linearia, versus apicem aliquid latiora, apice iucurvula, parte $\frac{1}{3}$ inferiore in tubum composita nec coalita, leviori pressione solubilia, caeterum subpatula. *Stamina* eorum trienti inferiori inserta, 6, alterna paulo longiora, sepalo breviora, *filamento* brevi *antheram* ellipticam, bilocularem, anticam, basifixam, basi emarginatam, apice connectivo apiculatam, circiter aequante, ultra insertionem deorsum in lineam plicatam decurrente, quae superne dilatata antheram effoetam vel abortivam bilocularem quasi refert, eodem fere modo ac in *Str. flexistylo* olim indicavi. *Stylus* stamina circiter aequans, cylindricus, *stigmatibus* parvulo, capitellato.

TAB. LXI. Ramus florens, nat. magnitudine.

a. flos cum bracteis; *b.* stamen a ventre et dorso; *c.* sepalum (petalum) cum stamine ejusque plica decurrente; *d.* stylus; auct. magnitudine omnes.



P A L M A E.

BACTRIS, JACQ. — MART.

1. *Bactris minax* (n. sp.), acaulis, stipite rhachique furfuraceo-tomentellis, valde inaequaliter aculeatis, pinnis alternis, basi semicirculari tumidula insertis, linearibus, apice inaequilaterali acuminatis, subplicatis, glabris, inaequaliter spinuloso-nigro-ciliatis, in nervi medii parte suprema aculeolatis, spatha pedunculata oblonga acuminata lignosa, aculeis setiformibus rigidis patentissimis horrida.

Palma acaulis, frondibus 10—15-pedalibus, locis arenosis prope *Paramaribo* alibique crescens, incolis *Keeskeessi-Makka* dicta, Bactri chaetorhachi et acanthocarpae, MART., ni fallor, affinis.

Stipes in supp. specimine 1½-pedalis, haud crassus, antice inter duos sulcos elevatus, furfure fuligineo obductus, *aculeis* nigris teretiusculis variae longitudinis undique dense obiectus. *Frons* circumscriptione lanceolata, foliolis summis etiam liberis. *Rhachis* antice furfuracea, dorso ad apicem usque longe aculeata, aculeolis exilibus lente discernendis furfure intermixtis. *Pinnae* utriusque lateris sulcis insertae, exceptis summis abbreviatis, circiter pedales imo longiores, 5—5½ lin. supra medium latae, fere lanceolato-lineares, basi antice convexae, postice concavae, secundum totam longitudinem aliquid plicatae, apice acuminato inaequilaterales, ita ut nervus medius infra acumen lateraliter desinat; circiter septemnerviae, costa prominente angusta distinctiore, plerisque tenuioribus nervis sub lente inter reliquos discernendis; pagina

utraque subnitida; aculeoli et minores appressi et paulo majores patuli, in marginibus et juxta eos dispositi, versus apicem aliquid accrescentes; costa in pagina superiore, ad $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{2}$ long. ab apice inde, nigro-aculeolata. *Spatha* 10 poll. longa, lignosa, inter aculeos nigros pallida et glabra. Reliqua desunt.

2. *Bactris sciophila* (n. sp.), acaulis v. caulescens, frondibus 18–20-pedalibus, stipite rhachique aculeatissimis, hac superne fere inermi, pinnis sparsis, lineari-lanceolatis, marginibus scabris, apice aculeato-ciliatis, subtus albidis setulosis, spatha dense nigro-setosa et aculeata, spadice simplici, erecto, cum pedunculo parce aculeato, drupis obovato-turbinatis angulatis, aculeato-setosis.

In sylvis maximis Surinami interioris, in distr. *Para*, sub excelsis arboribus, Palma haec vulgo acaulis crescit; monente cl. FOCKE, *Piënga-Makka* nomine incolis cognita est.

Specimen mihi suppetens, in sylvis prope *Blaauweberg* a cl. FOCKE lectum est, qui literis me monuit, Palmam primum esse *acaulem*, serius vero *caulescentem*, *caudice* 6, raro 10-pedali, versus apicem crassiore, *inflorescentiam* erectam in vertice axillarem protrudente. — *Frons* mea 18-pedalis; *stipes* 2 $\frac{1}{2}$ -pedalis, plus minus cylindraceus, pollicem crassus, antice canali, deorsum laevigato, nitido, sursum valde coarctato, exaratus, lateribus aliquid excavatus, dense aculeatus, *aculeis* per series circulares vel breves dispositis, nigris, nitidis, compressis, 1—2-pollicaribus. In rhachis parte inferiore similis eorundem aculeorum dispositio, dorsum et latera tantum, partem anticam inter sulcos elevatam vero non, occupantes, numero abhinc decrescentes, in apice fere deficientes. *Rhachis* inferne teretiuscula vel lateribus aliquid compressa, dorso valde convexa, antice sulco utrinque profundo pro pinnis inserendis instructa, (inter quos crassa quasi costa eminent), superne sensim trigona fit, sulcis folioliferis dilatatis explanatis, in latera plana sub angulo acuto conjuncta mutatis, dorso, aculeos sparsos appressos ferente, nunc etiam plano facto. *Pinnae inferiores* spithamam vel digitum distantes, oppositae vel saepius suboppositae, *superiores* alternae, 1—2 poll. distantes, basi complicata transverse insertae, lanceolato-lineares, *inferiores* et *superiores* minores, longiores circiter 3 $\frac{1}{2}$ -pedales, medio 1—1 $\frac{1}{3}$ poll. latae, sursum attenuatae, apice ipso brevi-bifidae, secundum totam longitudinem plicato-plurinerviae, *nervis dis-*

tinctoribus circiter novem, medio subtus valde prominente compresso, supra magis convexo, in sicco supra nitentes, subtus opacae pallidae, utrinque glabrae, marginibus scaberulae ex *aculeolis depauperatis* lente discernendis, superiora versus, his auctis, aculeolato-serrulatae, aculeolis majusculis fuscis prope marginem, in pagina superiore, adhuc accedentibus, similibusque in nervo medio infra fissuram. *Pinnae infimae* apice integrae sunt longeque attenuatae atque serrulatae. — *Spadix* suppetens fere maturus, *pedunculo* $\frac{1}{3}$ -pedali, compressiusculo-cylindrico, viridi, inferne inermi, superne *aculeis* complanatis recurvis instructo, parte drupifera 5—6 poll. longa, indivisa, paulo incrassata, *squamis* coriaceis, drupas discriminantibus, instructa, caeterum inermi vel subinermi. *Druparum* deciduarum *cicatrices* ovaes; in quavis serie longitudinali circiter 10. *Spatha* spadicem paulo superans, antice longitrorsum fissa, apice acuta, basi minute, sursum dense setulosa, setis versus apicem densissimis aculeiformibus, compressis, nitidis, nigris. *Drupae*, *calyce* late obconico subtrigono dorso convexo setulis appressis exilibus (lentis ope distinguendis) insperso, pollicari, ore inaequaliter plurifido, intus glabro laevi, sustentae, $1\frac{1}{2}$ —2 poll. longae, obovato-pyriformes, hinc subturbinatae, mutua pressione fere 4—5-gonae, vertice abrupte contracto prominente tria *stigmata*, 2—2 $\frac{1}{2}$ lin. longa, ovato-lanceata, dorso concaviuscula laevigata, antice convexiuscula, ferentes, totae, praeter basim et verticem, aculeis brevibus tenuibus nigris patulis setosae. *Pericarpium* coriaceum, intus remote fibrosum. *Putamen* obpyriformi-compressum, basi acutatum, vertice lato e tribus foraminibus inaequaliter distantibus radiato-sulcatum, sulcisque longitudinalibus exaratum, omnibus sulcis textus fibroso-ramosi nigrescentis (mesocarpium) ramos recipientibus.

ASTROCARYUM, G. F. W. MEY.

1. *Astrocaryum aculeatum*, MEY. *Esseq.* p. 266? — (Astrocaryon guianense, *Hort.*; A. AWARRA, DE VRIESE in *Jaarboek d. K. Maatsch. van Tuinbouw*; 1848. p. 12. — A. PARAMACA, MART. in D'ORBIGN. *Voy.* VII. 3. p. 88, praesertim quoad inflorescentiam?).

Primam hujus generis speciem secundum incompletum specimen l. c. descripsit cl. MEYER. Ad eandem et Palmam *Awara* Surinamensium pertinere et quam sub *A. Paramaca* descripsit cel. MARTIUS, admodum pro-

babile mihi videtur. Plane enim congruit *spathae spadicisque* descriptio quam MARTIUS proposuit cum specimine meo *Palma Awara*; quum vero speciem suam acaulem dicat, exinde atque e frondium descriptione et synonymo adjecto («Palma *Para-macca* SPLITG.») fere conjicerem, cel. auctori frondem *Bactris* alicujus, forsan *paraënsis* SPLITG., quam *Para-macca* proprie vocant Surinamenses, cum *inflorescentia Astrocaryi*, in manibus fuisse. — Stirps junior, quam *Palma Awara* nomine, in Hort. Bot. Amstelod. misit cl. FOCKE, *Astr. aculeati* characteres satis congruos obtulit.

Teste b. SPLITG. *caudex* est 10—25-pedalis, erectus, cylindricus; 5—7 poll. crassus, annulis 7—10 poll. a se invicem distantibus, basim versus subinermis, superne in interstitiis annulorum *aculeis* densis, atris, nitidis, maximis, quinquepollicaribus, inaequalibus, erectis et recurvis horridus. *Fronde*s 10—12-pedales. *Stipes* usque quadripedalis. *Rhachis* aculeatissima, versus apicem subinermis, *pinnis* subtus haud argenteo-albis. *Drupae* aurantiacae, ad putamen fibris longitudinalibus percursae, edules.

In *inflorescentia*, a cl. FOCKE missa: *Pedunculus* a *spathae* insertionem usque ad primum florem 10 $\frac{1}{2}$ -pollicaris, cylindrico-compressiusculus, 3—4 lin. crassus, striulatus, albido-tomentellus, *aculeisque* purpurascenti-atris nitidis compressis inaequalibus, circiter semipollicaribus, subpatulis, per series subobliquas irregulares dispositis, armatus. *Spadicis pars florens* pede paulo longior, ramosa, i. e. in *spadicillas* numerosas divisus, albo-tomentellus. *Spadicillae pedunculo partiali* circiter semipollicari, albo-tomentello aculeisque parvis flexuosis instructo, angulato, sustentae, 2—2 $\frac{1}{2}$ poll. longae, sordide albicantes, profundis *foveis* subrotundis adeo densis exsculptae ut parenchymatis fere nil nisi rete inter eas supersit; his *foveis flores masculini* inserti, parum exserti: *perigonii phylla externa (calycis)* brevia, *interna (corollae)* obovata, naviculari-concava, membranacea, glabra, alba, vertice maculis purpureo-fuscis minute maculata. *Antherae perigonii phylla interna* haud superantes, sagittato-lineares, albidae, connectivo in sicco nigrescente. *Flores feminei* immediate infra masculos, solitarii in quavis *spadicilla*, crassi, *bulbillum* referentes, pedunculi parti dilatatae marginatae innixi, a latere *bractea* utrinque una oblonga vel oblongo-lanceolata, scarioso-coriacea, semitecti (quibus interne adhuc minores lineares *bracteolae* appositae sunt), aculeisque flexuosis purpurascensibus fere circumdati. *Perigonium externum (calyx)* urceolatum

subangulatum, basi tumidulum, sursum contractum, ore protracto tridenticulato, albo-puberulum, aculeolis flexuosis pallide fuscis appressissimis instructum, $2\frac{1}{2}$ -fere 3 lin. longum, coriaceum, intusque tenui pube et minutissimis aculeolis sparsis instructum. *Perigonium internum (corolla)* consimile, paulo minus, aculeolis setosis pallidis, supremis tantum fuscis, appressis, brevibus, obtectum, intusque similibus sed adhuc minoribus instructum. *Ovarium* oblongum, cavitatem implens, brevissimo receptaculo sustentum, puberulum, in *stigmata* 3 ovata, plana, lateribus extenuata et plicato-erosula cum ovario fusco-punctulata, discreta, ima basi tantum cohaerentia, exserta, terminatum. *Spathillae*, singulas *spadicillas* amplectentes, membranaceae, glabrae, punctulatae, saepius ciliolatae, *inferiores* latae, *superiores* pedetentim angustiores, pedicello partim adnae. *Spatha communis* spadicem paulo superans, 2 pedes fere excedens, pedunculum spadicemque arcte amplectens, basi angustata, superne in apicem teretem durum terminata, longitudinaliter fissa, coriaceo-lignosa, intus in sicco purpurascens-fusca, glabra et striata, extus tota pilis densissimis, setulosis, subpatulis, castaneo-fuscis, sericeis, eleganter oblecta, apice tantum aliquot aculeos atros compressos gerens.



A R O I D E A E.

ANTHURIUM, SCHOTT.

1. *Anthurium surinamense* (n. sp.), caule scandente radicante, petiolis ima basi subvaginantibus, caeterum canaliculatis apiceque subbidentatis, foliis oblongo-lanceolatis utrinque acutis, venis erecto-patulis densis subreticulatis fere in ipso margine confluentibus, spadice cylindrico obtuso quam pedunculus fere duplo longiore, spatha decurrente.

In *Herb. Hostm.* et *KAPPL.* sub n^o. 683^a exstat specimen ob spatham destructam haud completum. *Petioli* 1½—2½-pollicares, marginibus acutis sub apice liberis, dentiformibus, subconvolutis. *Folia* coriacea, 5—8½ poll. longa, 2—2¾ lata, marginibus extenuatis leviter incurvatis, in sicco subundulatis. *Spadix* 2½ poll. *Baccae* immaturae obpyramidatae, vertice rotundatae, *stigmatē* superstitē sublobulato, subconvexo, circum circa quasi tomentello.



MUSACEAE.

PHENAKOSPERMUM, ENDL.

Perigonii epigyni *tubus* elongatus farctus, *phylla exteriora* aequilonga lanceolata canaliculata, *antico* magis carinato, *interiorum* breviorum *duo anteriora* connata, *postico* breviorē amplexa. *Stamina* quinque, *postico* deficiente. *Ovarium* inferum, *perigonii* tubo continuum, triloculare, *ovulis* in loculorum angulo centrali pluriseriatis, horizontalibus, anatropis. *Stylus* filiformis, *stamina* parumper superans, *stigmatē* crasso oblongo trisulco. *Capsula* coriaceo-lignosa, ovoidea, obtuse trigona, trilocularis, loculicido-trivalvis. *Semina* pluriseriata, horizontalia, loculorum angulo centrali ejusque processibus inserta, obovoidea, angulata, *testa* fuliginea, nitida, striulata, *funiculo* oblongo in *arillum* fibrosum fatiscente, *embryone*, in axi *albuminis* duro-farinosi, recto, ejusdem fere longitudine, lineari-lingulato. — MIQ. in MOHL et SCHLECHTD. *Bot. Zeitung*, 1845. p. 345.

Musaceae perennes *austro-americanae*, caulescentes vel acaules, *Musae* aut *Strelitziarum* habitum prae se ferentes, *foliis* distichis, *petiolis* basi vaginantibus, elongatis, *laminis* magnis oblongis, *scapo* terminali, *spathis* alternis biseriatis; *floribus* in axillis *spathillarum* inclusarum, distichis,

sessilibus, sub anthesi vix aliquantum prominentibus, albis, *seminibus* nigricantibus, arillo stupposo croceo-rubente inclusis.

1. ***Phenakospermum guianense*** (l. c.). — *Urania guyannensis*, L. C. RICH. *Comment. de Musac.* p. 21. Tab. VI et VIII. SPLITGERBER in diario: *Instituut*, 1843. p. 306 *cum icone floris*.

Stirps, in *omni Guiana* ut videtur haud rara, incolis *Banana sylvestris* dicta, ab auctoribus laudatis descripta, nunquam autem accuratiore partium analysi illustrata fuit, nam ill. RICHARD fructum tantum cognovit, SPLITGERBERUSQUE solam floris adumbrationem exhibuit.

TAB. LXII. A. Stirpis fructigeræ imago. — B. pars superior scapi maturi, $\frac{1}{3}$ circiter magnitudinis nat. — C. spathillarum series, floribus nondum evolutis; 1—4 spathillae quatuor diversae, 1 infima, 4 summa ex eodem inflorescentiae ramo, nat. magnitudine.

TAB. LXIII. *a.* alabastrum adhuc juvenile, nat. magnitudine; *b.* floris abortivi alabastrum, nat. magnitudine; *c.* flos, sub anthesi, nat. magn., parte ovariiifera transverse secta; *d.* petala antica cum stylo et staminibus iis antepositis, filamentis sub anthesi vulgo basi flexuosis, nat. magn.; *e.* stamen, paulisper aucta magn.; *f.* — *i.* ovarii grossificantis varia stadia, nat. magnitudine; *j.* capsulae sectio transversa; *k.* capsula dehiscens, magnitudine naturali picta, demtis in posticae valvae loculo dextro omnibus seminibus ut endocarpium superficies conspiciatur; *l.* semina varia, normalia et abortiva, nat. magn.; *m.* semen longitrorsum sectum, nat. magn.; *n.* semen, aucta magn.; *o.* idem longitrorsum sectum; *p.* embryo, aucta magnitudine.

Adnotatio. ***Phenakospermi amazonici***, speciei caulescentis nondum accurate descriptae, imago (sub *Urania*) exstat in MART. *Reise in Brasilien*, Tom. 3. p. 20. *Atlas*, Tab. I. fig. VI. 2.

HELICONIA, LINN.

Heliconia Schomburgkiana (KLOTZSCH in *Linnaea* Tom. 20. p. 464), habitu omnino refert specimina nana depauperata *H. acuminatae*, RICH. et simul cum hac specie in Surinamo haud rara esse videtur. Cl. KLOTZSCHII de Heliconiae speciebus adnotationibus edoctus, specimina *Herb. KAPPL. HOSTM.* n. 3a et 972 ad *H. Schomburghianam* referenda esse, vix dubium mihi videtur. Eadem erit *Herbarii Kegeiani* n. 473, in sched. tanquam *forma angustifolia H. acuminatae* proposita. — *Spathae* in meis haud quidem omnino planae, nec tamen tam arcte ac in plerisque reliquis complicatae, apice vero manifesto subcucullato-convolutae. *Pedicelli* $\frac{1}{2}$ — $\frac{3}{4}$ poll. longi.



ORCHIDEAE.

PLEUROTHALLIS, R. BR.

1. ***Pleurothallis surinamensis*** (Focke in *Tijdschr. Wis- en Nat. Wetensch.* Tom. 2. p. 194), »foliis elongato-spathulatis, obtusis, emarginatis, racemis filiformibus subsecundis multifloris folio longioribus, sepalis lanceolatis, lateralibus alte connatis, petalis spathulatis acutis columnam aequantibus, labello linguaeformi obtuso plano, clinandrio dentato.»

Passim in sylvis supra arbores. Florebat Aprili, Majo, Decembri (Focke).

»Herba epiphyta, nana, caespitosa. *Caulis* brevis monophyllus. *Folia* elongato-spathulata, obtusa, emarginata, in caulem processu petioliformi atte-

nuata, erecta, apice leviter recurva, 1—1½ poll. longa. *Racemus* axillaris seu ad basim folii ortus, filiformis, flexuosus, subsecundus, 6—15-florus, erectus, foliis multo longior. *Sepala* lateralia alte connata, apice tantum libera, basi saccata, supremum cymbiforme. *Petala* minora, columnam aequantia, spathulata, acuta, diaphana, uninervia. *Labellum* linguaeforme, obtusum, planum, cum pede columnae articulatam, columnae parallelum, paulisper recurvum, fusco-ochraceum. *Columna* marginata, subarcuata, alba, margine membranacea, utrinque apicem versus in dentem desinens. *Anthera* terminalis, opercularis, subconica, albida, unilocularis. *Pollinia* duo rotunda, plano-compressa. *Ovarium* sulcatum, cum pedunculo articulatam. *Capsula* obovato-oblonga, triquetra, subincurva, 2½ lin. longa, 1 lin. circiter crassa, viridis. *Flores* luteo-ochracei." — FOCKE l. c.

Ad *Pl. racemifloram* et *emarginatam*, LINDL., accedit, sed teste cl. auctore ab hac labello indiviso linguaeformi, ab illa petalis nanis acutis, ab utraque foliorum forma differt.

TAB. LXIV. *A.* Planta nat. magnitudine, cum analysi ad vivum a cl. FOCKE delineata.

a. flos; *b.* idem expansus; *c.* sepalum superius; *d.* columna, labellum et petala, sepalis remotis; *e.* eadem a latere; *f.* pollinia; *g.* capsula. Figurae, excepta ultima, auct. magnitudine.

2. *Pleurothallis acuminata* (FOCKE l. c. p. 195), »foliis oblongis ovalibusve emarginatis, in caulem brevem sensim attenuatis, junioribus discoloribus, sepalis oblongis subito et longe acuminatis, acumine lineari obtusiusculo, trinerviis, concavis, lateralibus basi connatis, petalis dimidio minoribus ovatis inaequaliter serratis uninerviis, labello oblongo hastato unguiculato obtusissimo, disco velutino, lobis lateralibus conniventibus.»

In sylvis secus *flumen Commewyne superius*, per totum annum fere florens (FOCKE)

Affinis *Pl. aristatae*, HOOK. »Epiphyta, pusilla caespitosa. *Radices* filiformes, albae. *Caulis* brevis, tenuis, monophyllus. *Folium* oblongum vel ovale, obtusum, emarginatum, in caulem sensim attenuatum, planum, junius purpurascens, subtus pallide purpureum, cum caule 3—4 lin. longum, 1½ latum. *Pedunculus* solitarius, capillaris, nudus, erectus, folio multo longior

uni- vel raro pauciflorus, ad basim folii ortus. *Perianthium* patulum. *Sepala* oblonga, subito et longe acuminata (acumine lineari, obtusiusculo, patulo, demum recurvo) trinervia (nervo medio subtus prominente, lateralibus apicem versus evanescentibus), concava; *lateralia* basi connata, anguloso-plicata. *Petala* dimidio minora, ovata, acuta, plana, inaequaliter serrata vel sparse lacerato-ciliata, uninervia. *Labellum* oblongum, hastatum, purpureo-unguiculatum, obtusissimum, subcarnosum; *lobis* lateralibus rotundatis, incurvis; apice recurvo, laminâ interiore granuloso-velutina. *Columna* labello brevior, arcuata cum labelli unguiculo articulata, *clinandrio* tridentato, *dentibus* antheram excedentibus; *lateralibus* majoribus. *Anthera* unilocularis, cristata, albida. *Pollinia* duo dimidiata, plano-convexa, incumbentia, apice materie pulvereâ cohaerentia. *Ovarium* sulcatum, cum pedunculo articulatum, purpureum, $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ lin. longum. *Flores* sordide lutei." FOCKE l. c.

TAB. LXIV. B. Planta nat. magnitudine, secundum vivum a cl. FOCKE delineata.

a. flos a latere; b. a basi; c. a latere, expansus; d. intus visus; e. petala; f. pollinia; g. anthera. Figurae aucta magnitudine.

BURMANNIACEAE.

APTERIA, NUTT. — MIERS.

1. *Apteria hymenanthera* (n. sp.), caule tenuissimo bi-quadri-squamuloso, simplici vel bifido, perigonii subinclinati suburceolato-tubulosi dentibus exterioribus triangularibus obtusiusculis, interioribus angustioribus et brevioribus, antherarum connectivo valde dilatato.

Inter folia dejecta sylvarum Surinamensium, more Voyriarum crescit, a cl. FOCKE, KEGEL et HOSTMANN (n. 959) lecta. — *Apteriae setaceae* NUTT. olim forma mihi videbatur, post accuratorem disquisitionem diversa apparuit, tum ab illa tum ab *A. lilacina* antherarum singulari forma distincta.

Caulis bi-tripollicaris, teretiusculus, tenuissimus, basi aliquantum flexuosus, caeterum rectus. *Squamae* lanceolatae, concavae, semiamplexicaules. *Flores* terminales, horizontales vel subinclinati, teste cl. FOCKE violacei, in sicco praesertim apice pallide violacei, 2 lin. vix superantes, supra ovarium leviter constricti, superne fere campanulati. *Stamina*, pariter ac in congeneribus, perigonii cavitatibus saccatis recepta, *filamentis* compressiusculis, *antheris* subquadratis, compressis, *connectivo* scil. utrinque membranaceo-dilatato, *loculos* separatos ad margines ferente, singulorum loculorum lobulis sejunctis ita ut unus angulum superiorem, alter inferiorem teneat, unde quadrilocellata quasi anthera. *Pollinis granula* subglobosa, hyalina, in interiore perigonii superficie nunc sparsa, nec cohaerentia. Ad dorsum staminis *ala biloba*, adnata, antheram superans, ut in reliquis speciebus, adest, quamvis in specimine exsiccato nunc obscurior. *Ovarium* ellipsoideum, perigonii parte inferiore adnatum, partim tamen separabile, apice conico liberum, *placentis* 3 parietalibus, multiovulatis, apice incrassatis. *Stylus* subtrigonus, ad perigonii saccos staminiferos pertingens, *stigmatibus* 3 distinctis divaricatis, clavato-compressiusculis, apice recto truncato excavatis. *Capsula* perigonio marcescente primum inclusa, matura stylo rostrata, ellipsoidea, apice tribus rimis aperta, serius fere trivalvis, effoetarum valvarum parte placentifera incrassata tantum superstite. *Semina* numerosissima oculo non armato aegre distincta, ellipsoidea, *testa* dilute subviridula laxe areolata, areolis rhombicis quasi, striis longitudinalibus et transversis obliquis interstinctis, eleganter reticulata, translucida fere, nucleo ovoideo obscuriore.

TAB. LXV. A. Plantae florentes et defloratae, nat. magnitudine.

a. pars caulis; b. apex florifer; c. stamen; d. pistillum; e. sectio transversa ovarii; f. capsula dehiscens; g. duo semina; figurae vario gradu auctae.

Adnotatio. *Apteria setacea*, NUTT., quam cel. HOOKER in *Icon. Pl. Volum. 3. Tab. 660*, delineavit, non solum statura minore, perigonii dentibus interioribus angustioribus, sed maxime antherarum structura differt, quae ratione inter nostram speciem et *lilacinam* (MIERS. in *Transact. Linn. Soc. Lond. Vol. 18. Tab. 38. fig. 5.*) medium tenet. In hac scil. connectivi rami horizontales filamentiformes, longi; in *setacea* vero breves latiusculi; in *hymenanthera* valde membranaceo-dilatati, loculis ideo non solum sed ipsis etiam loculorum lobulis disjunctis.

Specimen Hartwegianum, in *Mexico* lectum, a cl. BENTHAM (*Pl. Hartweg. p. 67*) tanquam *A. setaceae forma* propositum, statura multo majore, caule

plurifloro jam recedens, speciem distinctam exhibere, e cl. BENTHAMI descriptione fere conjiciendum videtur.

Burmanniaceae, praesertim Apterieae, multis numeris Voyriaceis (cf. supra p. 146) analogae sunt, licet in systemate naturali jure remotissimum ab iis locum teneant. Habitus revera admodum similis. — Num hujus loci *Voyria nuda*, SPLITG.? — Propter *calycem deficientem* ita dicta, diligenti examini dehuo submitienda est, nam si iconem a beato auctore editam, intueor, manifesta mihi videtur cum Apteris similitudo.

X Y R I D E A E.

ABOLBODA, H. B. K.

Abolboda grandis, GRISEB. in *Linnaea* Tom. 21. p. 281, secundum KEGELII specimen n. 1151 proposita, sextam generis speciem sistit, a reliquis luculenter distinctam.

Hujus forma *angustifolia* videtur specimen *Herb. Hostm.* n. 1319, foliis angustioribus 15—18-nerviis diversum, reliquis partibus tamen exacte congruum. Corollae lobi inveniuntur obtusi; antherae exsertae, lato-lineares, leviter curvatae, stigmatis (bi- vel trilobi?) lobi rotundati.

DIOSCOREAE.

DIOSCOREA, LINN.

1. *Dioscorea* (Aphistemon) *elegantula* (KUNTH *Enum.* Tom. 5. p. 366), volubilis, glabra, caule tereti laevi, petiolis brevibus semitereti-subhexagonis, apice tumidulis, basi subtortis, foliis coriaceis cordato-ovatis, acute acuminatis, lobis baseos rotundatis sinu lato diremtis, septemnerviis, nervis tribus mediis in acumen continuatis venisque horizontalibus subreticulatis (fuscis), racemis masculis axillaribus subsolitariis simplicibus, floribus solitariis glabris, basi bracteis duabus suboppositis amplectentibus sustentis, limbi lobis subaequalibus ovatis obtusissimis. — *Diosc. surinamensis*, MIQ. *mss. in Herb. Hostm. et alibi.*

Prope plantationem *la Prosperité*, m. Septembri, florentem legit cl. FOCKE. — (*Herb. Hostm.* n. 883). — Sub harum paginarum impressione, opus Kunthianum accepi; nomen itaque meum, herbariorum schedulis inscriptum, inter synonyma recepi.

Caules pennam corvinam crassi, haud vel vix torti, licet volubiles, glaberrimi, laeves, non perspicue striati. *Folia* 4—6 poll. distantia, *petiolis* antice planis et fere acute marginatis, apice in sicco corrugatis, in vivo forsan carnosio-tumidulis, basi concaviusculis et sub angulo recto saepe flexis (ita ut lamina cauli approximetur) $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{4}$ poll. longis, pulvinari tumido enatis, sustentata, haud crasse coriacea, in sicco fuscescentia, glaberrima, haud punctata, nervis subtus prominentibus et coloratis, supra impressis, 3 mediis aream ellipticam includentibus, venisque secundariis et tertiariis reticulatis utrinque prominulis notata, in acumen acutissimum desinentia, 3— $4\frac{1}{2}$ poll. longa, 2—3 fere lata. *Racemi mares* sessiles, axillares, circiter 6-pollicares, axi sub lente fortiore subpunctulata. *Bractee* vulgo duae, exterior ovata acuminata pedicello brevior, interior paulo minor acuta magis membranacea. *Flos* cum pedicello vix 1 lin. longus, tubo sursum aliquid dilatato, *limbi* horizontalis lobi obtusissimi, alterni paulo angustiores et subacutiores. *Stamina* lobis corollae breviora, *antheris* ellipticis. *Pistilli* rudimentum, cum *stigmatibus* 3 nanis. — In summitate caulium aliquando, foliis depauperatis, racemi paniculam amplam componunt.

PONTEDERIACEAE.

PONTEDERIA, LINN. — KTH.

Pontederia eriantha (Miq. in *Linnaea* Tom. 17. p. 60), e specimine sicco olim proposita, a cl. Focke postea in Surinami paludibus denuo investigata est. Flores pilosiores et multo minores sunt quam in *Eichhornia azurea* et *speciosa*. Spica 20-25-flora. Labelli macula flava apice biloba. Stylus staminibus longior. — Proxima certe censenda est *Pontederia rotundifolia*, LINN. fil. *Suppl.* p. 102, species etiam surinamensis, cui vero flores pedicellati tribuuntur.

Observationes autem quas de »*Pontederia eriantha*» cl. Focke communicavit in *Tijdschr. v. Wis- en Natuurk. Wet.* I. p. 210 («*Petioli* non vel rarissime inflati, longi; *folia* orbiculato-cordata acutiuscula; *corollae tubus filamentaque* hirtula; *petala exteriora* ovata utrinque acuta; *interiora lateralia* rhomboidea basi attenuata, *superius* rotundato-ovatum acutiusculum, erectum, macula rhomboidea lutea coeruleo-cincta pictum, *reliqua petala* pallide lilacina») ad aliam speciem, probabiliter indescriptam, spectare, literis nuper monuit.

Heteranthera formosa, Miq. in *Linnaea* l. c. p. 61, est forma *Eichhorniae azureae*, KUNTH *Enum.* Tom. 4. p. 129.



E R I O C A U L O N E A E.

P A E P A L A N T H U S, M A R T.

1. *Paepalanthus subtilis* (n. sp.), caule simplici vix pollicari, foliis linearibus acutatis trinerviis, junioribus ciliolatis, basi pilosis vel glabris, pedunculis bipollicaribus trisulcis dense pilosis vel glabris, vagina striulata puberula vel glabra vix trilineari ore obliquo ciliata et in laminam brevissimam terminata, capitulis demum semiglobosis vix lineam crassis, bracteis junioribus puberulis adultis glabris, floribus exterioribus femineis, reliquis masculis, pilis sordide albis obtusiusculis.

Speciem elegantem, habitu *P. rupestrem*, GARDN. in HOOK. *Icon.* Vol. 2. Tab. 525 similem, caeterum *P. Lamarckii*, *P. perpusillo* et *P. bryzoide* KTH. affinem, in *Joden-Savana*, m. Majo, simul cum *P. Lamarckii* legit cl. FOCKE.

Radices fibrillosae tenues flexuosae. *Caulis* simplex, $\frac{1}{2}$ —1 poll. longus, inferne foliis minutis remotiusculis decoloribus obsitus, apice comam subglobosam foliorum longiorum viridium proferens. *Folia* e basi latiuscula amplexicauli, anguste linearia, *inferiora* 1—2 lin. longa, *superiora* 3—4 lin. aequantia, $\frac{1}{3}$ — $\frac{1}{4}$ lin. lata, sursum angustata acuta, trinervia, saturate viridia, marginibus nunc involuta, juniora sparse ciliata, basi pilosa vel glabra, arcuato-patula, senescentia recurvata. *Pedunculi* ad apicem caulis numerosi, $1\frac{1}{2}$ - saepe 2-pollicares, basi *vagina* arcta viridi striulata, puberula vel glabra, 2- vix 3 lin. longa, ore obliquo ciliata et in laminam semilineam longam patulam ciliolatam vel glabram excurrente, amplexi, tenuissimi, recti vel paulo flexuosi, trisulcati et saepe torti, pubescentes vel in aliis speciminibus inde ab initio prorsus glabri; omnes apice, infra capitulum, decolores, teretes atque haud sulcati. *Capitula juniora* ovoidea, *adultia* semiglobosa, $\frac{2}{3}$, raro 1 lin. in diam., *bracteis exterioribus* pluriserialibus, nascentibus puberulis, adultis

glaberrimis, scariosis, hyalino-pallidis, translucidis ideoque propter partes inclusas quasi fuscis, marginibus sub fortiore lente hic illic erosis, *infirmis* minutis fere lanceolatis, *sequentibus* sensim longioribus lanceolatis et ovato-lanceolatis, acuminatis, flores fere aequantibus. *Bracteae*, flores discriminantes, ovaes acutae, fuscae, nigrescentes, dense ciliatae. *Flores exteriores feminei*, reliqui numerosiores *masculi*, bracteis inclusi. *Pili* sordide subflavido-albidi, articulati, obtusiusculi. *Flor. masculis* pedicellatis *perigonium externum* tripartitum, *lobis* oblongo-lanceolatis fuscis apice ciliatis, *internum* longe tubulosum pallidum, limbo parvo subcampanulato, ore obsolete tridenticulato involuto, externum fere aequans, glaberrimum. *Stamina* 3. *Flor. fem. perigonii lobi exteriores* 3 ima basi tantum cohaerentes, lineares, obtusi, crassi, post florescentiam rigescentes, reflexi, elastici, nitidi, pallide fusci; 3 *interiores* hyalini, tenuissime membranacei, striulati, apice ciliati, ima basi cohaerentes, capsulam amplectentes, ab exterioribus facile solubiles. *Ovarium* oblongum, *stylus* teres, *stigmata* tria breviter filiformia, inclusa. *Capsula* membranacea, tricocca, loculicida. *Semen* vulgo unum perfectum, cylindricum, fuscum, pellucidum, longitudinaliter striulatum, basi planiuscula antice parvo *hilo* maculatum.

TAB. LXV. B. Planta, nat. magnitudine.

a. pedunculus cum vagina foliisque quibusdam; *b.* flos masc. clausus; *c.* idem apertus; *d.* ejus perigonium int.; *e.* flos foem.; *f.* capsula; *g.* capsulae sectio transv.; *h.* semen, cum ejus basi et sectione transversa; omnes auct. magnitudine.

Observat. Haec species cum caractere generis *Cladocaulon*, GARDN. (Hook. *Icon.* Vol. 2. Tab. 528), congruit; hoc autem genus ob stigmata simplicia et stylum elongatum a *Paepalantho* vix separari posse videtur.

2. *Paepalanthus simplex* (n. sp.), acaulis, foliis subrosulatis, brevissimis, linearibus, pilosulis sensim glabratis, pedunculo solitario terminali trisulco, cum vagina sparse piloso, capituli semiglobosi albi bracteis externis et internis oblongo-lanceolatis acutis glabris albidis, florum masculinorum perigonii externi phyllis lanceolatis, interno tubuloso campanulato tridentato glabro, his femineisque pedicellatis basi pilosis.

HOSTMANN *Herb.* n. 655. *P. mucronato*, KTH. *Enum.* Tom. 5. 525, affinis videtur.

Radix parvula fibris pallidis; *caulis* vix ullus. *Folia* 2 lin. longa, anguste linearia, acuta, subcanaliculata, antice pilosa, glabrescentia, recurva. *Vagina* 2 lin. paullo superans, cum *pedunculo* bipollicari pilis clavatis parce puberula, ore brevi-obliquo obtusiuscula. *Capitulum* 1 lin. in diam. *Partes ejus omnes* albae, hyalinae, nitidae; *flores* parce pilosuli, *bracteis* paulo breviores.



A D D E N D A.

Sphinctolobium glaucescens, p. 19 *hujus operis* (Tab. IV.), ad *Mülleram moniliformem*, LINN. *fil. Suppl.* p. 53 et 329. DC. *Prodr.* Tom. 2. p. 259, referendum esse, post illius paginae impressionem, nunc, fructus examine edoctus, pro certo statuere possum. Amicus indefessus Focke enim matura misit legumina quae ei etiam ad *Mülleram moniliformem* pertinere videbantur. Characteres fusiores l. c. a LINNAEO *fil.* propositos, cum speciminibus meis nunc completis (cf. descriptionem supra p. 19 et Tab. IV) comparans, nullum grave discrimen superest. Calycem 4-dentatum statuit, dentem autem »superiorem oblitteratum, rarius fissum” dicit, adeoque calyx 5-dentatus ab eo etiam visus est.

Müllerae et *Sphinctolobii* characteribus comparatis, nullum est horum generum discrimen, adeoque prioritatis lege *Sphinctolobium* in generum

catalogo deleatur. Omnes itaque hujus generis species, v. c. *Sph. virgilioides*, *nitidum*, *floribundum*, a VOGELIO (*Linnaea* Tom. 11. p. 418) propositae, *Müllerae*, cujus characteres et affinitates ad hunc usque diem latuere, jam subscribendae.

Ad *M. moniliformem* porro spectant: *Anonyma*, operis MERIANAE Tab. 55, nec non *Coublandia frutescens*, AUBL. Tom. 2. p. 937. Tab. 356 quoad folia et fructum (flores certe *Mimoseae alicujus incertae*). — Habitat, teste cl. FOCKE, ad ripas fluminum inferiorum (quae aquam jam subsalsam vehunt) simul cum *Laguncularia racemosa*, *Echite biflora*, *Bignonia incarnata*, *Brachypteryde boreali*. *Flores* violaceo-rosei. — *Legumina* (lomenta) pro mole levia, praesertim ex ovarii parte inferiore orta, (ejus parte superiore cum stylo in leguminis maturi apice superstite), plerumque biarticulata (DC. etiam quinquearticulata vidit), inter articulos contractissima, fragilia, recta. *Articuli* subglobosi vel ellipsoideo globosi, suturis indistinctis, dorso levi sulco exarati, $\frac{3}{4}$ —1 poll. longi. *Epicarpium* laeve, sordide lutescenti-pallidum, *mesocarpium* spongiosum siccum, molle; *endocarpium* tenue. *Semina* subcompressa, *hylo* laterali, subreniformi-orbicularia, *testa* tenui-coriacea, exalbuminosa; *embryo* conformis, *cotyledonibus* plano-convexis subplanis, carnosio-duris, *radicula* curvula, *plumula* manifesta.

p. 96. *Euph. continoides*, leg.: **cotinoides**.

p. 120. *Cujecte*, leg.: *Cujete*.



INDEX

SPECIERUM ET SYNONYMORUM.



	pag.		pag.
Abolboda grandis, Gris. var.	218.	Banisteria appendiculata, DC.	78.
Alectoroctonum ovatum, Schld.	96.	» calocarpa.	78. 81.
Akentra inflata, Benj.	113.	» divaricata, Juss.	70.
Androstylium Fockeanum.	93.	» lobulata, E. Mey.	78.
Anguria subumbellata.	103.	» lucida.	78. 79.
Anisolobus Fockei.	159.	» polita.	80.
» Hostmanni.	151.	Bauhinia Hostmanniana.	10.
» Kappleri.	157.	» rosea.	9.
» puncticulosa.	158.	Beloperone surinamensis.	130.
Anthurium surinamense.	211.	Beslaria coerulea, Aubl.	110.
Apteria hymenantha.	216.	» violacea, Aubl.	119.
» lilacina, Miers.	217.	Bignonia aquatilis, E. Mey.	123.
» setacea, Nutt.	217.	» digitata, E. Mey.	121.
Astrocaryum aculeatum, Mey.	209.	» fluviatilis, Aubl.	121.
» Awarra, Hort.	209.	» pyramidata, Rich.	126.
» guianense, Hort.	209.	» uncinata, Mey.	125.
» Paramaca, Mart.	209.	Boerhaavia surinamensis.	204.
Bactris minax.	207.	Borreria penicillata.	176.
» sciophila.	208.	» prostrata.	177.
		» trichantha.	178.
		Brachystachys hirta, Klotzsch.	100.
		Bruinsmania isertioides.	173.

	pag.		pag.
Bunchosia hypoleuca.	77.	Clitoria amoena.	24.
Byrsonima obversa.	76.	Clusia cuneata, Benth.	92.
		» grandiflora, Splitg.	90.
		» insignis, Mart.	90.
		» <i>Fockeana</i> , Miq.	93.
Calyptranthes obtusa, Benth.	57.	Cnidocolus surinamensis.	98.
Campuloclinium surinamense.	182.	Combretum Bugi, Camb.	62.
Carapa surinamensis.	75.	» guianense.	62.
Carapichea Kappleri.	181.	» obtusifolium, Rich.	63.
Cassia <i>ampliflora</i> , Steud.	17.	» puberum, Rich.	62.
» <i>calliantha</i> , Mey.	17.	» pulchellum, Mart.	63.
» chrysogyne.	17.	» <i>punctatum</i> , Steud.	62.
» <i>chrysotricha</i> , Coll. var.	17.	» pyramidatum, Ham.	64.
» disadena, Steud.	16.	» terminaloides,	
» <i>fulgens</i> , Wall.	7.	Steud.	62.
» <i>magnifica</i> , Mart.	17.	Comolia surinamensis.	55.
» multijuga, Rich.	17.	Conomorpha multipunctata.	111.
» Otterbeinii, Mey.	16.	Conostegia acuminata, Steud.	54.
» <i>paramariboensis</i> , Miq.	16.	Cordia <i>Aubletii</i> , DC.	141.
» ramosa, Vog.	16.	» graveolens, H. B. K.	141.
» <i>Richardiana</i> , H. B. K.	17.	» <i>guianensis</i> , Desv.	141.
» savanensis.	16.	» guianensis, R. S.	141.
» viscosa, H. B. K.	16.	» <i>interrupta</i> , DC.	141.
» viscoso-pilosa, Steud.	16.	» patens, H. B. K. β	140.
Cephaelis <i>microcephala</i> , Miq.	180.	» polystachya, H. B. K.	141.
Chaetogastra callichaeta, Benth.	55.	» sericalyx, DC. var.	140.
Chomelia tenuiflora, Benth.	174.	» ulmifolia, Juss.	140.
Chrysobalanus pellocarpus,		Couepia glandulosa.	28.
Mey.	25.	» Steudeliana.	28.
Cissus elongata.	110.	Couralia <i>fluvialilis</i> , Splitg.	122.
» erosa, Rich.	110.	» <i>aquatilis</i> , ej.	123.
» <i>lucida</i> , Poir.	110.	Coutoubea <i>densiflora</i> , Mart.	145.
» <i>quadrialata</i> , H. B. K.	110.	» <i>lutea</i> , Steud.	144.
» <i>trifoliata</i> , L. pl. Sur.	110.	» <i>racemosa</i> , Mey.	145.

Coutoubea ramosa, Aubl.	pag. 145.	Dolichandra <i>Fenzliana</i> , Miq.	pag. 125.
» <i>reflexa</i> , Benth. 145.	146.	Doliocarpus <i>semidentatus</i> ,	
» <i>spicata</i> , Aubl.	145.	Grck.	108.
Crescentia Cujete, L.	120.		
» <i>cuncifolia</i> , Gardn.	120.		
Crotalaria <i>Hostmanni</i> , Steud.	24.	Ebermayera <i>humilis</i>	128.
» <i>nitens</i> (H. B. K.) Miq.	24.	» <i>repens</i> , Nees.	129.
» <i>retusa</i> , L.	24.	Echites <i>annularis</i> , Lin. fil.	157.
Croton <i>chamaedryfolius</i> , Lam.	99.	» <i>bicolor</i>	154.
» <i>hirtus</i> , P'Her.	99.	» <i>cognata</i> , Stadelm.	160.
Cruydiae species?	12.	» <i>Cururu</i> , Mart. var.	160.
Cupania Aubletii.	67.	» <i>disadena</i>	156.
» <i>guianensis</i>	71.	» <i>hirsuta</i> , Rich.	152.
» <i>laevigata</i>	72.	» » <i>latifolia</i> , Stadel.	153.
» <i>porosa</i>	70.	» <i>lasiocarpa</i> , A. DC.	153. 154.
» <i>subrepanda</i> , Mart.	70.	» <i>puncticulosa</i> , E. Mey.	158.
Cybianthus <i>multipunctatus</i> ,		» <i>surinamensis</i>	155.
DC.	112.	» <i>syphilitica</i> , Lin. fil.	164.
		» <i>tomentosa</i> , Vahl.	153.
		Eichhornia <i>azurea</i> , Kth.	220.
		Eperua (Parivoa) <i>rubiginosa</i>	12.
		Eugenia <i>atropunctata</i> , Steud.	41.
		» <i>chrysophylloides</i> , DC.	40.
		» <i>dipoda</i> , DC.	58.
		» » <i>var.</i>	58.
		» <i>marowynensis</i>	59.
		» <i>Michelii</i> , Lin.	37.
		» <i>paniculaeflora</i> , Steud.	57.
		» <i>polyantha</i>	41.
		» <i>polystachya</i> , Rich.	41.
		» <i>protracta</i> , Steud.	58.
		» <i>ramiflora</i> , Desv.	59.
		» <i>Schaueriana</i>	41.
		» <i>stigmatica</i> , DC.	58.
Davilla <i>flexuosa</i> , Splitg.	107.		
Decarhappe <i>Fockeana</i> , Miq.	52.		
» <i>floribunda</i> , Miq.	52.		
» <i>Hostmanni</i> , Steud.	53.		
Delima <i>dasyphylla</i>	107.		
Diodia <i>spicata</i>	179.		
» <i>surinamensis</i>	180.		
Dioscorea <i>elegantula</i> , Kth.	219.		
» <i>surinamensis</i> , Miq.	219.		
Diplochita <i>Fothergilla</i> , DC.	53.		
» <i>leucocephala</i> , DC.	53.		
» <i>serrulata</i> , DC.	53.		
Disadena <i>flavescens</i>	150.		

	pag.		pag.
<i>Eugenia surinamensis</i> , Miq.	38.	<i>Heliotropium helophilum</i> , Mart.	136.
» <i>tenuiramis</i>	39.	<i>Henriettea Patrisiana</i> , DC.	46.
» <i>uniflora</i> , L.	37.	» <i>surinamensis</i>	45.
<i>Eupatorium dichotomum</i> , Sch.	184.	<i>Heteranthera formosa</i> , Miq.	220.
» <i>ixodes</i> , Benth.	185.	<i>Heteropteris hiraoides</i> , Miq.	
» <i>psiadiaefolium</i> , DC.	183.	<i>mss.</i>	80.
» <i>punctatum</i> , Miq.	183.	» <i>apiculata</i>	81.
» <i>surinamense</i> ,		<i>Hippomane biglandulosa</i> , Lin.	97.
Schultz.	185.	<i>Hiraea multiflora</i>	83.
<i>Euphorbia Klotzschiana</i>	95.	» <i>fulgens</i> β , Juss.	84.
» <i>cotinoides</i>	96.	» <i>rosea</i>	84.
» <i>insulana</i> , Velloz.	96.	<i>Hirtella cognata</i> , Steud.	28.
<i>Galipea fissa</i>	64.	» <i>glabra</i> , Steud.	12.
<i>Garcinia brasiliensis</i> , Mart. var.	90.	» <i>hexandra</i> , W.	26.
» <i>floribunda</i>	89.	» <i>hispidula</i>	27.
» <i>macrophylla</i> , Mart.	89.	» <i>nemorosa</i> , W.	26.
» <i>parvifolia</i> , Benth.	90.	» <i>nitida</i> , W.	26.
<i>Geiseleria chamaedryfolia</i> , Kl.	99.	» <i>scandens</i> , W.	26.
» <i>hirta</i>	99.	» <i>violacea</i> , Steud.	26.
<i>Geophila cordata</i>	175.	<i>Hortsmania myrtifolia</i>	167.
» <i>cordifolia</i>	176.	<i>Humirium surinamense</i>	88.
» <i>reniformis</i> , Ch. et		<i>Hyptis brevipes</i> , Poit.	143.
Schld.	176.	» <i>globifera</i> , Mey.	144.
<i>Goeppertia multiflora</i>	203.	» <i>lappulacea</i> , Mart.	144.
<i>Guettarda coccinea</i> , Aubl.	169.	<i>Icica heptaphylla</i> , Aubl.	66.
<i>Haemadyction annulare</i> , A. DC.	156.	» <i>Hostmanni</i>	66.
<i>Hecastophyllum Benthamianum</i>	20.	» <i>surinamensis</i>	63.
<i>Heliconia Schomburgkiana</i> , Kl.	214.	<i>Inga comewynensis</i>	1.
		» <i>filicina</i> , W.	8.
		» <i>ingoides</i> , W.	3.
		» <i>Meisneriana</i>	2.

	pag.		pag.
<i>Inga Merianae</i> , Splitg.	3.	<i>Lepidium micropterum</i>	106.
» <i>Riedeliana</i> β sur., Benth.	3.	<i>Leptolobium costulatum</i>	17.
» <i>sericantha</i>	3.	» <i>nitidulum</i>	18.
» <i>stipularis</i> , DC.	3.	<i>Licania crassifolia</i> , Benth.	29.
<i>Ipomoea sericantha</i>	131.	» <i>incana</i> , Aubl.	30.
» <i>mollicoma</i>	132.	» <i>micrantha</i>	29.
<i>Isertia coccinea</i> , DC.	172.	<i>Lonchocarpus pterocarp.</i> , Miq.	18.
» <i>coccinea</i> , Vahl.	170.	<i>Loranthus chloranthus</i>	205.
» <i>commutata</i>	172.	» <i>surinamens.</i> , var.	
» <i>flava</i> , Miq.	170.		Miq. 205.
» <i>hypoleuca</i> , Benth.	170.	<i>Lotus palustris</i> , Velloz.	24.
» <i>parviflora</i> , Vahl.	174.	<i>Luffa aegyptiaca</i> , Mill.	104.
		» <i>scabra</i> , Schum.	104.
<i>Iucunda tomentosa</i> , Benth.	47.		
<i>Iussiaea affinis</i> , DC.	59.	<i>Macfadyena Fenzliana</i>	125.
» <i>aluligera</i>	60.	» <i>uncinata</i> , A. DC.	125-6.
» <i>nervosa</i> , Poir. var.	59.	» <i>tertia species</i>	126.
» <i>pilosa</i> , H. B. K. var.	59.	<i>Machaerium surinamense</i>	21.
» <i>rigida</i>	58.	<i>Macrolobium hymenaeoides</i> , Mey.	10.
		» <i>stamineum</i> , ej.	10.
<i>Leianthostemon corymbosus</i>	147.	<i>Malouetia albiflora</i>	161.
» <i>niveus</i>	148.	» <i>obtusiloba</i> , A. DC.	162.
<i>Leiphaimos aurantiaca</i>	149.	» <i>odorata</i> , A. DC.	162.
» <i>calycina</i>	149.	» <i>Tamaquarina</i> , DC.	
» <i>nuda</i>	149.		var. 162.
» <i>parasitica</i> , Ch.,		<i>Melastoma alata</i> , Aubl.	51.
	Schl.	» <i>parviflora</i> , Aubl.	49.
» <i>spathacea</i>	149.	» <i>rufescens</i> , Aubl.	51.
» <i>tenella</i>	149.	» <i>tomentosa</i> , Rich.	47.
» <i>tenuiflora</i>	149.	» <i>pleurocarpum</i> ,	
» <i>uniflora</i>	148.		Mey. 51.
		<i>Melothria pendula</i> , L.	104.

Melothria fluminensis, Gardn.	pag. 104.	Mikania surinamensis.	pag. 188.
Mendoncia Sellowiana, Nees. .	128.	Mimosa asperata, Lin.	7.
» » v. Perott.	128.	» camporum, Benth.	7.
» Velloziana, Mart. .	127.	» <i>flaviseta</i> , Benth.	7.
Messerschmidtia <i>syringaefo-</i>		» polydactyla, H. B. var.	6.
<i>lia</i> , R. S.	137.	Momordica <i>luffa</i> , L.	104.
Miconia alata, DC. var.	51.	Monnina membranacea.	30.
» argyrophylla, DC.	52.	Moschoxylum propinquum. . .	74.
» attenuata, DC.	49.	» surinamense.	73.
» » Miq.	48.	Mouriria guyanensis, Aubl. . .	43.
» clidemioides, Steud.	51.	» » Hook. . .	42.
» collina, DC.	48.	» polyantha.	42.
» erythropila, Steud.	51.	» species omnes.	44.
» Fockeana.	51.	Müllera moniliformis, L. fil. 20,	225.
» <i>heterochroa</i> , Miq.	52.	Myrcia Berberis, DC.	36.
» <i>holosericea</i> , Steud.	52.	» divergens, DC.	37.
» <i>holosericea</i> , DC.	52.	» surinamensis.	35.
» <i>hypargyrea</i> , Miq.	52.	» sylvatica, DC.	36.
» icidopila, Steud.	51.	Myrtus <i>brasiliensis</i> , L.	38.
» longistyla, Steud.	49.	» calophylla, H. B. K.	35.
» <i>macrophylla</i> , Steud.	48.	» » var. β . . .	35.
» Naudiniana.	50.	» <i>revoluta</i> , J. C. Schau. . .	35.
» <i>pterophora</i> , Miq.	51.	» <i>sylvatica</i> , Mey.	36.
» pubipetala.	50.	Nectandra cuspidata, Nees. . .	200.
» rufescens, DC.	51.	» leucantha, Nees.	196.
» <i>tomentosa</i> , Don.	47.	» » varr. . .	197.
Mikania argyrostigma.	186.	» <i>Neesiana</i> , Miq.	202.
» aspera.	190.	» pallida, Nees.	198.
» atriplicifolia, Schultz.	189.	» Pisi.	199.
» Fockeana.	190.	» <i>revoluta</i> , Miq. mss.	201.
» <i>gonoclada</i> , Miq.	188.	» Rodiaei, Schomb.	197.
» gracilis, Schultz.	187.		
» Hostmanni.	189.		
» stipitata, Schultz.	191.		

	pag.		pag.
Nectandra salicifolia, Nees.	203.	Pithecolobium Splitgerberianum.	5.
» species.	201, 203.	Pleurothallis acuminata, Focke.	215.
Neptunia plena, Benth.	7.	» surinamensis, Focke.	214.
» surinamensis, Steud.	7.	Plinia pedunculata, L.	38.
Nonatelia lutea, Steud.	181.	» rubra, L.	38.
		Pneumonanthis clavata.	150.
		» leucantha.	150.
Oreodaphne caudata, Nees.	202.	Polycarpaea atherophora,	
» costulata, Nees.	201.	Steud. 105.	
» fallax.	203.	» brasiliensis, Camb.	105.
» Hostmanniana.	202.	Polygala Hostmanni.	33.
» marowynensis.	201.	» sororia.	22.
		Pontederia ciantha.	220.
		» rotundifolia, L. fil.	220.
		Possira arborescens, Aubl.	15.
		Pronacron ramosissimum,	
		Cass. 195.	
Paepalanthus simplex.	222.	Psidium fluviatile, Rich.	34.
» subtilis.	221.	» guianense, Pers.	24.
Palicourea aurantiaca.	181.	» polycarpon, And.	54.
Parivoa, Aubl.	12.	Psychotria microcephala.	180.
Parkia nitida.	7.	Pterolepis glomerata, DC.	55.
Peschiera albiflora.	165.	» Hostmanni, Steud.	55.
» diversifolia.	164.	» pusilla.	55.
» echinata, A. DC.	166.		
» surinamensis, Miq.	166.		
Petrea bracteata, Steud.	142.	Quapoya surinamensis.	92.
» macrostachya, Benth.	142.	» Pana Pinari (Aubl.).	92.
» volubilis guian., Cham.	143.		
Phenakospermum amozonicum.	213.		
» guianense.	213.		
Phyllanthus attenuatus.	100.		
» guianensis, Kl.	100.		
Pithecolobium glomeratum,		Rhexia glomerata, Rottb.	55.
Benth. 3.		» trichotoma, Rottb.	55.

	pag.		pag.
Rhytiglossa acuminatissima.	129.	Solanum <i>salvifolium</i> , Lam.	133.
» anagallis, Nees.	131.	» surinamense, Steud.	136.
» <i>secunda</i> β, Nees.	129.	» trichocarpum.	135.
Rollinia glaucescens.	108.	Spathodea flaviflora.	124.
» multiflora, Splitg.	109.	Spennera anomala.	58.
» orthopetala, A. DC.	109.	» aquatica, Mart.	57.
» puberula, A. DC.	109.	» grandifolia.	8.
» salicifolia, Schld.	109.	» <i>hydrophila</i> , Steud.	57.
» Sieberi, A. DC.	109.	» » Miq.	58.
Roulinia surinamensis.	169.	» ornata.	56.
Ruyschia lepidota.	94.	» quintuplinervis.	57.
		» tetraptera.	58.
		» viscida, Benth.	58.
		Sphinctolobium <i>glaucescens</i>	
Salacia macrophylla.	85.	Miq. 19, 223.	
Sapindus <i>arborescens</i> , Aubl.	67.	Spigelia anthelmia, L.	152.
Sapium Hippomane, Mey.	97.	» multispica, Steud.	151.
Sauvagesia Kappleri.	105.	» <i>nervosa</i> , Steud.	152.
Schlegelia elongata.	118.	Sponia micrantha, Decaisn.	195.
» lilacina.	116.	» » var.	195.
Schwenkia americana, L.,		Struthanthus cuspidatus.	206.
Splitg.	114.	Swartzia <i>aptera</i> , DC.	15.
» guianensis, Benth.	114.	» Benthamiana.	15.
Securidaca Hostmanni.	50.	» <i>bifida</i> , Steud.	15.
Sesbania leptocarpa, DC.	23.	» triphylla, W.	15.
» macrocarpa, Mühl.	24.		
» picta, Pers.	23.		
Sida angustissima.	102.	Tabebuia <i>fluviatalis</i> , A. DC.	121.
» <i>linifolia</i> , Cav. var.	102.	» <i>pyramidata</i> , A. DC.	126.
Solanum <i>asperum</i> , Rich.	153.	Tabernaemontana <i>guianensis</i> ,	
» cuneifolium, Dun.	154.	Miq. 164.	
» diphyllum, L.	136.	» fasciculata, Poir.	168.
» laetum.	135.	» parviflora, Poir.	168.
» radula, Vahl.	133.		

	pag.		pag.
Tabernaemontana tetrastachya,		Utricularia Fockeana.	113.
H. B. K.	163.	» inflata, Walt.	113.
Tachigalia angustifolia.	12.	» <i>ceratophylla</i> , Michx.	115.
» <i>polyphylla</i> , herb.			
Kapfl.	13.	Varronia martinicensis, Aubl.	141.
Talisia glabra, DC.	72.	Vismia angusta.	88.
Tecoma barbata, DC.	122.	» <i>latifolia</i> (Chois.) Steud.	88.
» digitata, DC.	122.	» ramuliflora.	88.
» fluviatilis.	121.	Vouapa bifolia, Aubl.	10.
» insignis.	122, 123.	» chrysostachya.	11.
» Meyeriana, DC.	121.	» elegans.	11.
Tephrosia gynothrix.	22.	» <i>staminea</i> , DC.	10.
» toxicaria, P.	23.	Voyria acuminata, Benth.	151.
Terminalia dichotoma, Mey.	61.	» <i>angustiflora</i> , Steud.	149.
» latifolia, Sw.	61.	» <i>aurantiana</i> , Splitg.	149.
» paraensis, Mart.	61.	» <i>calycina</i> , Splitg.	149.
Tessiera pubescens.	178.	» <i>clavata</i> , Splitg.	150.
Tetracera cuspidata, Mey.	108.	» <i>coerulea</i> , Aubl.	151.
» surinamensis.	107.	» <i>corymbosa</i> , Splitg.	147.
» tomentosa, W.	108.	» <i>flavescens</i> , Gris.	150.
Tetrapteryx complicata.	82.	» <i>leucantha</i> , Miq.	150.
Thouinia polygama, Mey.	68, 70.	» <i>mexicana</i> , Gris.	149.
Tigarea dentata, Aubl.	108.	» <i>nivea</i> , Miq.	148.
Tilesia capitata, Mey.	193.	» <i>nuda</i> , Splitg.	149.
» » Benth.	194.	» <i>pallida</i> , Garek.	148.
Tournefortia laevigata, (Lin.).	139.	» <i>parviflora</i> , Miq.	147.
» surinamensis, DC.	138.	» <i>rosea</i> , Aubl.	151.
» syringaefolia,		» <i>spathacea</i> , Lam.	149.
Vahl.	137.	» » Splitg.	149.
Unxia camphorata, Linn. fil.	192.	» <i>tenella</i> , Guild.	149.
Urania amazonica, Mart.	213.	» <i>tenuiflora</i> , Gris.	149.
» guyanensis, Rich.	213.	» <i>uniflora</i> , Lam.	148.
		Voyriella parviflora.	147.

	pag.		pag.
Wedelia scaberrima, Benth.	. 196.	Wulffia elongata.	. . . 193.
Wulffia capitata, Schultz.	. . 193.	» stenoglossa, DC. var.	. 194.
		Zeyheria <i>surinamensis</i> , Miq.	126.



Pithecolobium glomeratum Benth.



Passiflora ligularis Miq.



Tachigalia angustifolia Miq.



Müllera noniformis Linn. fil.





Hecastophyllum Benthamianum Miq.








Tepirosia gynocheiz Miq.





A *Hirtella hezandra* W.



B. *H. hispidula* Miq.



Polygala sororia Miq.




A

B

A. *Myrcia sylvatica* DC.

B. *Myrcia surinamensis* Miq.


Ver Huet del



Ver. H. del.

Eugenia chrysophylloides D.C.






Mouriria polyantha Miq.






Henrietta Patristana D C






Spenniera ornata Miq.



A



B



C

A. *Psidium polycarpon*, And
 B. *Juccunda tomentosa*, Benth
 C. *Miconia Fockeana*, Miq.






Jusisiaea affinis DC.



Combretum obtusifolium Rich.






Cupania Aubletii Miq. - mas.



Cupania Aubletii Miq. (herm.)




Ver Huell del.

Carapa surinamensis Miq.



Banisteria lucida Rich.





B. calocarpa



var. *polita* Miq.

Banisteria polita Miq.



Hiraeca fulgens β *demerarensis* Juss.



W. Huell del.

Salacia macrophylla Miq.





a



b



c



d




e

Ver Huell del.

Humirium surinamense Miq.









Clusia grandiflora Splitg.





Ver Huell del


Clusia grandiflora Splitg.





H. C. Focke ad viv. det.


Ruyschia lepidota Miq.






Euphorbia Klotzschiana Miq.





Sapium Hippomane Meij.





Geiseleria chamaedryfolia Kl.






A



B




A. *Phyllanthus attenuatus* Miq.

B. *Phyllanthus guianensis* Kl.






Lepidium micropteron Miq.





Tetraera surinamensis Miq







Conomorpha multipunctata Miq.

Van Handel





Schwenkia guianensis Benth.



Schlegelia elongata et lilacina Miq.

Huber



Ipomoea mollicoma Miq.






Solanum radula Vahl.



ss.


1847





Solanum cuneifolium Dum. variet.





B. *Utricularia Fockeana* Miq.

A. *Heliotropium helophilum* Mart.

Verhuell del






Tournefortia syringaefolia Vahl.







Petrea macrostachya Benth.





1848






Spigelia multispica Steud.





Echites hirsuta Rich






Malouetia albiflora Miq.





Malouetia obtusiloba Alph. DC.







Ver Hucil del.

Peschiera diversifolia Miq.









Vermeil del


Jaertia coccinea Vahl — *J. commutata* Miq





Brunsmannia insertoides Alq.





Chomelia tenuiflora Benth.





Ver Huei del

Borreria penicillata Miq.





Ver Huell del

Diodia spicata Miq.







Herb. Boiss. 162

Campuloelmnium surinamense Miq








Eupatorium psidiumifolium (L.) Holton & C.



Mikania argjrostrigma Miq.







Unxia camphorata Linn. fil.





Ver Huell del

Sponia micrantha Decaisne. variet.




58.

A



Nectandra leucantha Nees ab E. s. variet.





Rees, 1851

A. *Nectandra pallida* Nees


B. *Nectandra cuspidata* Nees





Nectandra fisi Miq.





a



b





c



d



Ver Hueil, del.

Srutanthus cuspidatus Don.




Ver Huell del.

spermum guianense Endl.



Phenakospermum guianense Endl.







Phenakospermum guianense Endl.



A.



a



b



c



d



e




f



g



B.



a



b



c



d



e




f


g

A. *Pleurothallis surinamensis*, Focke.
 B. *Pleurothallis acuminata*, Focke.





A.




B.





B.

A. *Apteris hymenantha*, Miq.
 B. *Paepalanthus subtilis*, Miq.









SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES



3 9088 00608 1541

